




SACRAE THEOLOGIAE SINOPSIS

CHRISTIANAE RELIGIONIS DOGMATA TANTUM COMPLECTENS

Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis

JOSEPHI


CAPICII ZURLO

ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI

JUSSU EDITA.

Ad Ecclesiasticae juventutis usum accommodata.







NEAPOLI,
Apud Raphaelem Miranda.

1831.







AD LECTOREM

MONITUM

Ne quem offendat contractà isthaec, et compendiaria Theologiae Synopsis, eum oratum volumus, ut oculos ad finem intendat, quem nobis proposuimus, usumque perpendat, cui illa destinatur. Non desunt enimvero qui sive spissis Theologicarum Institutionum voluminibus deterriti, sive ingenii tarditate praepediti, vel ipso a limine hujus divinae scientiae elementa salutare, nedùm illius penetralia subire detrectant; unde quidem proficiscitur, ut non sine ingenti ipsorum dedecore, et non levi utilitatum jactura, quae ab hisce dimanant studiis, vel in ipsis nostrae Religionis dogmatis jejuni omnino, et plane hospites deprehendantur. Ut horum igitur commodis prospiceremus, sedulo curavimus, ut recisis scholasticis quaestionibus, ea dumtaxat prosequeremur, quae unas fidei Catholicae veritates respiciunt. Atque eas quidem in epitomen redactas ejusmodi ordine digessimus, eaque claritate donavimus, ut cuique vel minimum appetenti, facile esset Theologicum stadium percur-

rere. Faxit Deus ut qui prima haec elementa degustaverint, desiderio incendantur ad Theologiam impensiore studio excolendam. Tu vero, Humanissime Lector, propositi consilii particeps, nostros labores aequi bonique ducito, ac vale.

PRÆFATIO.

Cum eà mente, eoque consilio rationalis creatura, quem vocamus hominem, condita fuerit, ut insito quodam appetitu ad Deum tanquam ultimum finem feratur; quis est, qui ambigat, illuc omnes curas, cogitationesque nostras esse perpetuo dirigendas? non alia vero ratione id obtinebimus, nisi prius illum agnoscamus. Solo rationis lumine, quod super nos signatum est, quamvis multa innotescant, non pauca tamen, quae superant omnem sensum, nos latent. Qua de re praeter Philosophiae naturales scientias, alia pernecessaria cognitio est, quae revelatione innixa aperiat in hominibus, quod naturalis ratio suis viribus nunquam assequetur, efficiatque, ut unusquisque brevi, nulloque erroris metu sciat, quae mens humana longo post tempore, errandique minime secura, perscrutaretur. Sacrae Litterae doctrinam hanc praecipue nobis exhibent; nos vero certa quadam egemus scientia, ut eas assequamur veritates, quas Sacri Codices, seu fides nos docet, Fides siquidem in omnibus Christi fidelibus inest, scientia haec non item, qua, fatente D. Augustino, *gignitur*, *nutritur*, *defenditur*, *ac roboratur* illa fides, qua duce, ad veram felicitatem perveniemus.

Theologia itaque recte vocari potest *Scientia*, *per quam cognoscitur quidquid de Deo*, *rebusque divinis revelatum est*: Scientia jure appellatur, quia principiis quibusdam, nempe veritatibus supernaturali lumine cognitis innititur. Quod in caussa fuit, cur D. Thomas illam ipsius Dei scientiae *sacram impressionem* dixerit; et non ignoti nominis quidam Theologus post D. Thomam *sacrae Metaphysicae* vocabulo donaverit.

Et re quidem vera multum Theologia cum Metaphysicà habet affinitatis: quemadmodum enim inferiores scientiae sua principia demonstranda relinquunt superioribus; et Metaphysica utpote scientiarum nobilior tota est in principiis, quibus utitur, probandis, modo adversarii unum, vel alterum admittant, omniaque futilia

argumenta retundit illorum, quibus hac illac ingenio vagari volupe est: ita Theologia quamvis certis, firmisque innitatur principiis, quippe quae a Deo revelante originem ducunt, nihilominus cum scientias super alias emineat, contra Haereticos, Ethnicosque cogitur arma sumere pro suis stabiliendis principiis; primos ut ex concessis ad alias, quas negant veritates pertrahat, posteriorum ut deliramenta refellat, illaque non ejus esse ponderis ostendat, quae vel minimam offundant nostrae fidei splendidissimo candori caliginem.


Ratione vero, et auctoritate certat Theologia: rationem aliquando adhibet, non ut fidei veritates probet (quod fidei meritum imminueret), sed ut se se humano intellectui accommodet, qui facilius ratione ducitur. Auctoritas, quae est praecipuum Theologiae fundamentum, ipsius Dei verba sunt, aut sacris consignata Litteris, aut Catholicae Ecclesiae ore concredita, ut per manus posteris traderet, et pro re nata sensum aperiret. In Sacris igitur Litteris, Traditione, et Ecclesia sive undequaque per orbem diffusa, sive Conciliis congregata illimes illi fontes continentur, e quibus Theologia suam doctrinam haurit.

Nihil tamen ex hac auctoritate imminutum credas theologicae disciplinae praestantiae, quae ceteris antecellit. Haec namque auctoritas certa, et infallibilis est, cum Deum ipsum theologiae caussam efficientem agnoscere necesse sit; solus quidem spiritus Dei novit, quae sunt Dei; hinc Unigenitus, qui est in sinu Patris, Deum quem nemo vidit unquam nobis manifestavit: ac tandem Spiritus Sanctus, qui est spiritus veritatis, docuit nos omnem veritatem.

Quare unicuique facile patet, quinam sit hujus divinae scientiae finis, ut scilicet Deum homo agnoscat, pro virili cognitum diligat, omnique aeternitate eo fruatur. Objectum autem non aliud, quam Deus ipse Theologiae est, cum de Deo, rebusque ad illum tanquam principium, et finem pertinentibus, sermonem instituat. Omnis itaque theologica disputatio duas in partes perbelle dispescitur; prima de Deo, secunda de Creatura intelligente agit; cumque Creatura intelligens de pri-

maevo statu, in quo creata fuit, miserrime ceciderit, duplici veluti sub aspectu considerare Theologiam aequum est: Primo, quo illa disserit de Deo, ejusque attributis, de Trinitate Personarum, de Creatione et Providentia, de Angelis, et Homine antequam a justitia originali moti praecipites iverint, de illorum facultatibus, de virtutibus Theologicis, et de bonorum operum meritis: Altero, quo res expenduntur in peccati statu, Theologia disputat de lapsu Hominis, et Angelorum, de peccato ejusque poenis, et consectariis, de Redemptione hominum a Jesu Christo peracta, de Mysteriis vitae Christi, de Gratia, Justificatione, et Sacramentis; quae omnia paucis complexus est ipsemet Christus, cum ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Quem secutus est ordinem D. Thomas, et ipsi sectari prae oculis habuimus, nostramque Theologiae Synopsim tres in partes divisimus. In I. sermo erit de Deo ejusque attributis. In II. de Deo Creatore. In III. de Deo Redemptore. Quod porro explicaturi omnes dogmaticas propositiones illuc spectantes (quas dumtaxat complectetur hoc qualecumque nostrum opus) auctoritate utemur sacrarum Litterarum, Traditionis, et Ecclesiae: idcirco in antecessum brevem instituemus tractationem de Fontibus, sive de Locis Theologicis, unde haurire tuto possimus, quae nostris stabiliendis dogmatis inservient; et omissis, quae in utramque partem sine ulla offensione a Theologis disputari solent, quae fidenti animo profiteri debemus, solum in medio proponemus.



DE
LOCIS
THEOLOGICIS.

LOci Theologici proprie vocantur *fontes*, *unde argumenta sua hauriunt Theologi ad adstruenda Catholicae fidei dogmata*: Cum autem Christiana fides uni divinae revelationi innitatur, locos theologicos eos recte dicimus, quibus divina revelatio continetur: ii vero duo potissimum sunt, scilicet verbum Dei tum litteris consignatum, tum ore traditum. Verum, ut nobis certo constet quae sint scripta divinitus edita, quaenam iis vera subjecta sit sententia, quae tandem traditiones ut divinae sint habendae, ad Ecclesiam a Christo Domino institutam confugiendum est, quae citra ullum errandi periculum ea omnia nos edocet. Christi porro Ecclesia vel per totum orbem dispersa spectari potest; vel in Conciliis coacta, semper tamen docendae veritatis infallibili auctoritate praedita dicenda est. Hinc I. de Sacra Scriptura: II. de divina Traditione: III. de Ecclesia sive dispersa, sive in Synodis congregata: IV. de Romano Pontifice totius Ecclesiae capite: V. tandem de Patrum auctoritate testium fidei, sermo erit brevissimus.

CAP. I.

De Sacra Scriptura.

Q. QUid est Sacra Scriptura?

R. Est verbum Dei scriptum afflante Spiritu Sancto, et ut tale ab Ecclesia nobis propositum.

PROP. I.

Sacri Codices tum veteris, tum novi testamenti sunt divinitus inspirati.

Prob. prima pars. CHristus, et Apostoli Scripturas antiqui foederis proferentes, earum divinitatem testati sunt, ac veluti divino sigillo ita munierunt, ut de divina earumdem inspiratione haud amplius ambigi possit, ut cuilibet novi testamenti paginas evolventi liquet. Rursus sacrorum Codicum scriptores se divinitus missos, ac Deo dictante scripsisse, nonnisi miraculis palam editis, ac vaticiniis eventu comprobatis demonstrarunt, quorum notitia ad nos usque non interrupta traditione pervenit. Ergo etc.

Prob. altera pars. Divina, quae constant in libris novi testamenti mysteria, quaeque nonnisi revelante Deo innotescere potuerunt, ut sunt Verbi Incarnatio, ejus nativitas ex Virgine, Trinitas personarum in Deo: item doctrinae sanctitas: tum denique innumera, quae et Apostoli ediderunt miracula in confirmationem suae divinae missionis, neminem addubitare sinunt, quin ipsis eloquia Dei vere sint concredita: Hinc illud Apostoli testimonium, quod libros spectat utriusque foederis, *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* etc. (1) Cui accedit D. Petrus (2) inquiens *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Ergo etc.

COROLLARIUM.

Hinc omnia, quae in Scripturis occurrunt sive vaticinia sint, sive historiae, praecepta morum, pia consilia etc. *eloquia Dei credita illis* merito vocantur ab Apostolo (3) ac propterea omnes veritates cujuscumque sint ordinis, quae in illis continentur, ad religionem

(1) *II. ad Timoth. cap.* 3.
(2) *Epist. II Cap. I.*
(3) *Ad Roman. Cap.* 3.

directe vel *indirecte* pertinent, ac Deum habent auctorem sive inspirantem, sive dictantem: secus Scriptura purum omnino Dei verbum non esset divinam habens auctoritatem.

Prop. II.

Sacrarum Scripturarum Canon ab Ecclesia Universali definitus est.

Prob. SAcrarum Scripturarum Canon definitus est cum in OEcumenica Synodo Florentina, ut in Decreto pro Armenis, tum vero in Synodo Tridentina, quae sessione quarta, percensitis utriusque testamenti libris, quorum Catalogum attexemus, sic statuit, *si quis autem libros istos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione habentur, pro Sacris, et Canonicis non susceperit, anathema sit.* Ergo etc.

Scholion.

Tridentini Praesules, ut Sacrarum Litterarum Canonem stabilirent, primaevam Ecclesiae fidem, et in Sanctorum Patrum Commentariis, et Conciliorum decretis traditam accuratissime expenderunt; et quidem quos, ut divinos proposuit libros Tridentina Synodus, eosdem jam inde a primis Ecclesiae Saeculis ut Sacros, et Canonicos, tum Concilia Laodicenum, et Carthaginense, tum vero D. Augustinus, ceterique insequentes Ecclesiae Patres mira consensione commendarunt.

Q. Quos complectitur libros Catholicae Ecclesiae Canon?

R. Eos, quos Sessione quarta Concilium Tridentinum recensuit: sunt vero infrascriptites; tamenti veteris quinque libri Mosis, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: item Josue, Judicum, Ruth: quatuor Regum: duo Paralipomenon: Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinqua-

gin'a psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Jsaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus, et secundus, Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem. Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timothaeum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli Epistolae duae: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judae Apostoli una: et Apocalypsis Joannis Apostoli: omnes enumeratos libros *tam veteris, quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor* (1) Tridentina Sinodus orthodoxorum Patrum exempla secuta, suscipit, et veneratur.

Corollarium.

Hinc Universalis Ecclesiae auctoritas Scripturae divinitatem definit, et quinam libri in Canone Sacrarum Scripturarum sint reponendi, infallibili testimonio statuit. Ita Irenaeus lib. 3. Cap. 1., Tertul. lib. 4. contra Marcionem, Clemens Alex. lib. 3. Stromatum, et Augustinus de Civ. Dei lib. 15. cap. 23.

Prop. III.

Sacra Scriptura admittenda est juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipere, et interpretari licet.

Prob. Ex infallibili auctoritate Concilii Tridentini, quod Sess. IV. decernit, *ut nemo suae prudentiae in-*

(1) *Sessione* 4.

nixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat. Igitur vera propositio.

Q. Quaenam itaque, quod ad Sacram Scripturam attinet, sunt nobis necessario tanquam de fide credenda?

R. Plura: et I. Sacram existere Scripturam, seu revelatum Dei Verbum (ut supra ostendimus) tanquam catholicae veritatis articulum necessario credendum esse, non licet prorsus dubitare.

II. Eos quoque libros omnes, quos in Canonem retulit universa totius Ecclesiae consensio, Canonicos esse.

III. In illis doctrinam revelatam comprehendi, fides Christiana docet: in eaque conscribenda, atque tradenda nihil falsi occurrisse, certissime credendum est.

IV. Scripturarum sensum, et intelligentiam fidelibus absque erroris periculo tradere, ac patefacere solius est Ecclesiae universim consentientis, ut infra docebimus; quare ea divinarum Litterarum testimonia, quae absque censurae nota a catholicis Scriptoribus varie, ac diverse explicantur, seorsim sumta, catholicae fidei articulos constituere nequeunt.

V. Nullus sacri codicis sensus potest aliter, quam universali traditione adeo certo dignosci, ut fidei divinae, et catholicae articulus possit inde sine ullo erroris periculo superstrui.

VI. Quamvis omnia, quae in Scripturis habentur *directe* ad Religionem non pertineant, *indirecte* tamen, et aliquo pacto ad eam spectant, veramque fidei materiam constituunt.

Scholion

Licet nostri instituti ratio heic non sinat auctoritatem expendere textus Autographi, et versionum Sacrae Scripturae; illud tamen silentio praetereundum non est, nimirum Sacrarum Scripturarum textum, ac versiones ita

se habere, ut Religionis Christianae dogmata, et moralem doctrinam inde facile haurire possimus: Si qui enim defectus amanuensium incuria in textum hebraicum, aut graecum irrepsere, ii tanti non sunt momenti, ut revelatae doctrinae summam valeant immutare. Moralis porro certitudo sufficit, ut teneamus versiones graecam, latinam etc. esse fideliter editas, ac textum Autographum exhibere, quemadmodum Tridentina Synodus Sess. IV. authenticam declaravit D. Hieronymi versionem latinam, quae *Vulgata* dicitur, statuens, *ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot Saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur: et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.* Verum Tridentini Praesules praefato decreto *Vulgatam* authenticam, nec hebraico, graecoque textui praetulerunt, ut effutiunt inepte Heterodoxi, nec eam ab omni mendo puram esse definiere; licet enim non diffiteamur levissimos in ea reperiri posse errores, ut in numeris adnotandis, vel in aliis rebus, quae revelationis substantiam ne leviter quidem immutant; divina tamen fide exploratum est, in iis, quae ad doctrinam, aut mores attinent nullum omnino mendum in scripturas irrepsisse.

CAP. II.

De Traditione.

Q. QUid est Traditio?

R. Traditio est *Verbum Dei non scriptum, sed vel a Christo ore Apostolis traditum, vel a Spiritu Sancto Apostolis ipsis inspiratum, et ab iisdem ad successores ore transmissum.*

SCHOLION

Divinae revelationis capita ore tradita, et Litteris non consignata, testantur Concilia, Patres, ac universa demum Ecclesia.

Q. Quotuplex distinguitur Traditio?

R. Licet nonnulli divinas traditiones ab Apostolicis secernant, nullum tamen inter eas discrimen intercedere arbitramur; siquidem quae Apostoli in diversis terrae oris unanimi consensione tradiderunt, profecto vel ab ipsomet Christo acceperunt, vel a Spiritu Sancto, qui docuit eos omnem veritatem, didicerunt.

Porro ex traditionis fonte quaedam hauriuntur, quae fidem, quaedam autem quae mores spectant: quae traditione credenda proponuntur, divinitus sunt tradita, cujus generis sunt septenarius Sacramentorum numerus, Matris Dei Virginitas, Baptismi validitas ab haereticis collati etc. quae vero traditio praecipit peragenda, alia sunt a Christo tradita, ut diei Dominici, ac Paschatis institutio etc., alia ab Apostolis accepta, ut tempus celebrandae Paschae, lex servandi Jejunii quadragesimalis, praeceptum non ordinandi bigamos etc. sed haec potius Apostolica praecepta appellanda sunt oretenus ab Apostolis ad nos usque transmissa, in quibus Ecclesiae dispensatio locum habere potest. Hinc divina traditio, de qua hic a nobis instituitur sermo, alia non est ab ea, quam supra definivimus: *Apostolica* vero ea est, quam Apostoli ipsi ut Ecclesiae pastores instituerunt, ac sine scripto Ecclesiae commiserunt: accedit tandem *Ecclesiastica* traditio, eaque dicitur, quam Apostolorum successores invexerunt, atque ad nos usque viva voce transmiserunt, cujusmodi est celebratio quorumdam festorum.

PROPOSITIO UNICA.

Admittendae sunt divinae traditiones tum ad verum, et orthodoxum Sacrae Scripturae sensum assequendum, tum vero propter quaedam fidei, morumque capita, quae in Sacris Litteris aut nullo modo, aut obscure dumtaxat occurrunt.

Prob. prima pars. CUm divinarum Litterarum obscuritas, quam D. Petrus notat (1) de Epistolis D. Pauli

(1) *II. Epist. cap.* 3.

disserens his verbis *quaedam sunt difficilia intellectu ; quae indocti, et instabiles depravant , sicut et ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem:* tum vero ipsa Heterodoxorum perversitas, qui saepissime in determinando scripturarum sensu secum adversa fronte pugnant, apertissime ostendunt, non alia tutiori ratione dignosci posse genuinum scripturae sensum , quam si spectetur prima fidelium traditio , qui illum Apostolorum ore explicatum audiverunt. Ergo etc.

Prob. altera pars. Plura sunt fidei dogmata quae in Sacra Scriptura non leguntur: sic nobiscum Heterodoxi tanquam de fide credunt perpetuam Deiparae Virginitatem : parvulos esse baptizandos : non iterandum esse baptisma ab haereticis collatum : quatuor tantum esse Evangelia : jam vero haec , aliaque ejusdem generis dogmata una traditione comprobantur , cum sacer textus nullibi ea expresse adstruat: ergo ad plenam fidei professionem , traditio admittenda est. Hinc Apostolus jubet , *state , et tenete traditiones , quas didicistis sive per sermonem* (idest ore prolatam), *sive per Epistolam* (1).

Corollaria

I. Jure Universalis Ecclesia in Tridentina Synodo coacta admittendas esse traditiones statuit , inquiens *se Orthodoxorum Patrum exempla secutam , traditiones tum ad fidem , tum ad mores pertinentes , tanquam vel oretenus a Christo , vel a Spiritu Sancto dictatas , et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas* (perinde ac Scripturas Sacras) *pari pietatis affectu , ac everentia suscipere , et venerari* : subditque , *si quis traditiones praedictas sciens , et prudens contemserit anathema sit.*

II. Facile erit veras traditiones a falsis secernere, si prae ceteris illa maxime regula ob oculos habeatur, quam saepe repetit Clariss. Vincentius Lirinensis , ut nimirum illud solum a Christo , et Apostolis descendere existime-

---

(1) *II. ad Thessalon. Cap.* 2.

tur, *quod ubique*, *quod semper*, *quod ab omnibus traditum est.*

CAP. III.

De Ecclesia.

SAcram Scripturam, ac Traditionem Ecclesiae commiserunt Apostoli, ut utramque custodiret, ad posteros transmitteret, ac citra ullum erroris periculum explicaret. Hinc de Christi Ecclesia dicturi, I. de ejus proprietatibus, II. de notis, III. de ejusdem auctoritate quam brevissime disseremus.

Q. Quid est Ecclesia Christi spectata in eo, quo nunc est statu, et prout omnia sua membra complectitur?

R. Est coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, quorum caput est Romanus Pontifex.

COROLLARIA

I. Ex Tradita Ecclesiae definitione sequitur; Haereticos publicos non esse Ecclesiae membra, quippe qui nec ejusdem Christianae fidei professione, nec eorumdem Sacramentorum perceptione, ac praecipue visibilis Ecclesiae capitis Rom. Pontificis regimine colligantur: hinc olim haeresim detestantes, Ecclesia per manuum impositionem in suam societatem iterum adsciscebat, ut liquet ex Concil. Nicaeno I. (1) ac propterea haereticos ad Ecclesiam non pertinere, constans fuit Ecclesiae sensus (2), secus tamen sermocinandum de haereticis oc-

---

(1) *Can.* 8., *et* 19.

(2) *Vide hac de re Irenaeum lib.* 3. *cap.* 4. *Tertullianum in lib. de Praescript. Hieronymus in Dialogo contra Lucifer. Concil. Laodic. Can.* 9. *et Concil. Constantinop. Can.* 6.

cultis, qui corde tantum retinent haeresim; isti enim cum ab Ecclesia non desciverint, nec ab ea ejecti fuerint, ad exteriorem ejus communionem pertinere existimantur; sin vero ore, vel opere, licet occulte haeresim prodiderint, certo credendum est eos ad Ecclesiam non spectare.

II. Apostatas manifestos longius abesse ab Ecclesiae sinu, cum omnia fidei capita rejiciat Apostata, qui Christum repudiavit.

III. Schismaticos ad Ecclesiam non pertinere, unanimis est Sanctorum Patrum sensus; et sane praeter ceteros, sic docet D. Augustinus (1). *Haeretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quae credimus: quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum; nec Schismatici, quoniam diligit proximum* (2).

IV. Excommunicatos Ecclesiae membra non esse: nam Christo auctore, tanquam ethnicus, et publicanus (3) habendus is est, in quem veluti contumacem excommunicationis poenam tulit Ecclesia, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, et publicanus*: jam vero ethnici sunt extra Ecclesiam, ut innuit Apostolus, *quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare* (4) ab Ecclesia igitur praecisus est, qui visibiliter est excommunicatus: ita rem conficit D. Augustinus (5).

V. Neque Catechumenos actu esse corporis Ecclesiae membra: siquidem Cathecumeni nondum receperunt baptisma, cuius beneficio quisque Ecclesiam ingreditur; quocirca Ecclesiae Patres jure Catechumenos inter fide-

(1) *Lib. de Fide, et Symbolo Cap.* 10.

(2) *D. Augustino concinunt reliqui Ecclesiae Patres: Cyprianus Epist.* 69: *item lib. de unit. Ecclesiae. Optatus lib.* 1. *ad Parmenianum. D. Chrysosto. Hom.* 2. *epist. ad Ephes.*

(3) *Matth Cap.* 18.

(4) *I. ad Corinth. Cap.* 5.

(5) *Lib de Unit. Eccletiae Cap. ultimo.*

les nunquam recensuerunt. Certo itaque tenendum est eos dumtaxat in Ecclesia versari, qui ejusdem Catholicae fidei professione, eorumdem Sacramentorum communione, atque legitimis Pastoribus subjectione, veluti totidem externis nexibus copulantur; fideles namque his vinculis exterius junguntur, ac in eamdem societatem coeunt.

§. I.

De Ecclesiae Proprietatibus.

Q. Quot sunt Ecclesiae proprietates?

R. Duae potissimum: nimirum I. ut quovis tempore sit visibilis, idest certis quibusdam fulgidis notis adeo omnibus conspicua, ut prae ceteris haereticorum sectis facillime secernatur II. ut perpetuo sit duratura.

PROP. I.

Vera Christi Ecclesia est visibilis.

Prob. Ecclesia Christi a Prophetis in veteri testamento praenunciatur, ac praesignificatur veluti domus Domini in vertice montium posita, elevata super colles, ad quam fluent omnes gentes, sic eam descripsit Isaias (1). Ergo Ecclesia non secus atque domus in vertice montium collocata, omnibus maxime conspicua est. Ad haec quisque tenetur Ecclesiam audire, *si Ecclesiam non audierit etc.* (2) in ea manere, ut salutem adipliscatur, ad eam accedere, si extra illam sit, ad eamdem deferre fratrem suum privata correptione non emendatum: haec autem fieri nequeunt, nisi Ecclesia sit maxime visibilis. Ergo etc.

COROLLARIA.

I. Ex dictis cuique intelligere datur quam futile illum commentum sit haereticorum autumantium Ecclesiam in

(1) *Cap.* 14.
(2) *Matth. Cap.* 18.

quibusdam occultis fidelibus consistere posse. In hac enim hypothesi, nemini Ecclesia innotesceret contra Christi institutionem, qui voluit Ecclesiam perpetuo esse visibilem, ut homines facile possent ad illius notitiam pervenire.

II. Non solos praedestinatos, sed etiam reprobos, modo fidem exterius profiteantur sub legitimis pastoribus, esse prorsus Ecclesiae membra; nam praedestinatio quid absconditum est, et invisibile, et e contrario Ecclesia societas visibilis est, et conspicua, utpote similis Civitati supra montem positae, quemadmodum Scriptura loquitur. Praeterea Christi Ecclesia in Evangelio recte similis perhibetur Virginibus prudentibus, et fatuis, quia in ea reprobi cum electis admixti sunt, ut apposite monet D. Gregorius (1) Hinc merito in Synodo Constantiensi (2) proscriptus est Joannis Hus articulus iste: *Reprobus etsi aliquando sit in gratia secundum praesentem justitiam, tamen nunquam pars est Sanctae Ecclesiae.*

III. Ex consentienti Patrum auctoritate (3) edocemur peccatores etiam gravissimos membra esse Ecclesiae: prae ceteris audiatur D. Hieronymus (4). *Sicut in arca erant omnium animalium genera, pardus, et haedi, lupus, et agni; ita et in Ecclesia sunt justi, et peccatores*: haec mire consentiunt nostrae fidei, quae docet Sacramentum poenitentiae propter peccatores institutum esse, et Sacramenta eorum esse, qui in Ecclesia versantur.

Scholion

Peccatores ad Ecclesiae corpus spectant, non quidem ad animam: Ecclesiae corpus constat externa fidei Catholicae professione, Sacramentorum communione, et legitimis pastoribus subjectione: anima vero internis vinculis Fidei, Spei, et Caritatis continetur.

---

(1) *Lib.* 1. *Homil.* 12. *in Evang.*

(2) *Session.* 15.

(3) *C. Cypri. Epist.* 54. *ad Maxim. S. Chrysost. in psal.* 39. *Aug. lib. contra Petilianum Cap.* 16.

(4) *Dialog. contra Lucifer.*

Prop. II

Vera Christi Ecclesia nunquam potest deficere.

Prob. CHristus Petrum alloquens, inquit, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1). Jam vero portae inferi praevalerent adversus Ecclesiam, si haec perpetuo non esset duratura; hinc D. Augustinus ait, *non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus seculi finis* (2) et sane ad finem usque seculi Christus se adfuturum promisit Apostolis, eorumque successoribus (3), cum in doctrinae praeceptione, tum vero in Sacramentorum administratione; adeoque sicut Pastores, ita et fideles ad finem usque Mundi non deerunt, ut Christi doctrinam ediscant, et Sacramenta percipiant; ac propterea usque ad consummationem saeculi stabit Ecclesia.

Corollarium.

Cum Ecclesia interire nequeat, sequitur eam in servando revelationis deposito, quod a Christo acceperat, deficere non posse : id Catholica docet fides, qua profiteri tenemur Ecclesiam esse *columnam, et firmamentum veritatis* : sed haec alias fusius explanabimus.

§. II.

De Ecclesiae Notis.

Q. QUae, et quot sunt Ecclesiae notae?

R. Ecclesiae notae sunt certa quaedam signa, seu characteres, quibus vera Christi Ecclesia facile secernitur ab haereticorum, et schismaticorum sectis: eas

(1) *Matth. Cap.* 16.
(2) *In Psal.* 60.
(3) *Matth. Cap.* 27.

porro quatuor esse constat ex Symbolo Constantinopolitano, quo fideles profitentur se credere *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *et Apostolicam Ecclesiam.*

De Unitate Ecclesiae.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia ita una est, ut excludat alias quascumque societates, quarum fides diversa est.

Prob. prim. pars. ECclesia respectu partium, ex quibus componitur, perinde se habet, ac ovile respectu ovium, ex quibus constat (1), sed ovile ratione ovium ex quibus conflatur, unum est, ut ait Christus (2) *alias oves habeo*, *quae non sunt ex hoc ovili* : *oportet me illas adducere*, *et fiet unum ovile*, *et unus pastor*, idest unus invisibilis summus Pastor, unusque hic in terris summus, et visibilis: ergo Ecclesia pariter una est respectu partium, ex quibus componitur.

Prob. altera pars: Ecclesia ab ipso sui exordio omnes haereticorum sectas a suo gremio repulit: siquidem Concil. Constantinopolitanum I. inquit *haereticos dicimus*, *et qui ab Ecclesia ejecti sunt*, *et qui sunt postea a nobis Anathematizati*; idipsum tradit Synodus V. OEcumenica (3) Ergo etc.

COROLLARIA.

I. Cum Ecclesia una sit, fides catholica docet extra illam obtineri non posse salutem: et quidem sacris in litteris Ecclesia vocatur *Civitas*, *Domus*, *Templum*, *Regnum Dei*; quisque autem per se videt extra domum, ac Regnum Dei neminem salutem consequi posse; *neque*

(1) *Joan. Cap.* 10
(2) *Ibidem.*
(3) *Actione V.*

enim vivere foris possunt, *cum domus Dei una sit*, *et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit*, inquit S. Cyprianus (1). Hunc Fidei articulum, qui inaugurandi sunt Episcopi profiteri tenentur.

II. Quoniam Ecclesiae unitas potissimum sita est in consensione doctrinae, quam non servant Protestantium societates, sequitur inde verae unitatis rationem iis convenire non posse; liquet enim ex insigni *Variationum Historia*, quam edidit praeclarissimus Bossuetius, Protestantes varias diversis temporibus sibi fidei professiones confixisse.

PROP. II.

Unitatis Ecclesiasticae centrum positum est in Cathedra Petri, et Summi Pontificis illius successoris.

Prob. HIc totius est traditionis sensus: Christus enim sic Ecclesiam suam instituit, ut jam ascensurus in coelum, sui vices committeret Petro in terris degenti tanquam Summo Ecclesiae Pastori, quo vita functo, alius ei in eandem Sedem succederet, et sic deinceps usque ad saeculi consummationem: Hinc Irenaeus (2) *ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, *hoc est eos*, *qui sunt undique fideles*. *Adeoque qui Cathedram Petri*, *super quam fundata est Ecclesia deserit*, *in Ecclesia se esse nequaquam confidat*; sic rem conficit S. Cyprianus (3). Ergo etc.

COROLLARIUM.

Quare omnes particulares Ecclesiae, quae cum Romano Pontifice tanquam communi centro copulantur in unam coeunt Ecclesiam.

---

(1) *Epist.* 62.
(2) *Lib.* 3. *adversus haereses cap.* 3.
(3) *Lib.* 2. *de Unit. Ecclesiae.*

De Sanctitate Ecclesiae.

Prop. I.

Vera Christi Ecclesia Sancta est.

Prob. HAnc fidei catholicae veritatem tradidit Apostolus ad Ephesios scribens (1) *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Porro Ecclesiam Sanctam in symbolo profitemur. I. quia Christo adhaeret capiti, qui cujusque sanctitatis fons est et origo II. quia ad comparandam sanctitatem vocatur III. quia fidem sanctam profitetur, ac prae ceteris sectis purissimas tenet leges IV. denique, quia plura ejus membra interiori justitia ornantur. Ergo etc.

Prop. II.

Ecclesia Catholico-Romana Sancta est.

Prob. ECclesiae nascenti illapsus est Spiritus Sanctus; atqui Ecclesia Catholico-Romana alia non est ab illa; ex historia enim patet hanc, non interrupta Pontificum successione cum illa connecti Ecclesia, quam Apostoli constituerunt. Sola igitur spiritum sanctitatis habet.

Corollarium.

Quamobrem societates Protestantium vera sanctitate prorsus carent: inde enim caritate exciderunt, propterea quod schismatis crimine, unitatis vincula diruperunt; jam vero sanctitas sine caritate constare nequit: scite D. Augustinus. *Caritas Christiana, nisi in unitate Ecclesiae custodiri non potest* (2).

---

(1) *Cap.* 5.
(2) *Lib.* 2. *advers. Litt. Petili.*

Prop. I.

Eo sensu Ecclesia dicitur Catholica; quod sit moraliter ubique diffusa.

Prob. D. Augustinus (1) plura ducit argumenta ex lege, et Prophetis, ac potissimum ex Psalmis, ut adversus Donatistas veram Christi Ecclesiam Catholicam esse debere, sensu jam exposito, ostendat; deinde haurit argumentum ex novo testamento inquiens, *dicant ea testimonia, quae posui de lege, et Prophetis, et Psalmis obscura esse, et figurate dicta; etiam aliter posse intelligi . . . . . numquid, et hoc obscure dictum, aut aenigmatis velamento iuumbratum est, quod ipse Christus dixit, quia oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum per omnes incipientibus ab Hierusalem* (2)? *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde coeptura, et quo usque perventura esset, coeptura scilicet ab Hierusalem, et perventura in omnes gentes:* Ergo Christi Ecclesia ubique diffusa est.

Prop. II.

Sola Ecclesia Romana Catholica est sensu jam exposito.

Prob. Ex certis Historiae monumentis constat, unam Ecclesiam Romanam ubique terrarum eminere, et contra haereticorum societates certis quibusdam provinciis circumscribi: *diversorum haereticorum Ecclesiae*, inquiebat D. Augustinus (3) *Catholicae non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur:*

(1) *De unit. Ecclesiae Cap.* 10.
(2) *Lucae Cap.* 24.
(3) *Serm.* 242.

haec vero (Ecclesia Romana) *a solis ortu usque ad occasum , unius fidei splendore diffunditur.*

S c h o l i o n.

Ad Ecclesiae Romanae *Catholicitatem* satis est eam in praecipuis terrae partibus ita eminere , ut aliam quamlibet societatem sua diffusione vincat : rursus antequam saeculi hujus consummatio fiet , alias terrae provincias , in quibus modo non dominatur , Ecclesia Catholico-Romana occupabit , ut ex Prophetarum oraculis novimus. Hic demum sedulo animadvertendum est duplici alio sensu Christi Ecclesiam vere dici Catholicam I. scilicet , quod omnia tempora complectatur ; Christi namque Ecclesia veterum Prophetarum fidem profitetur , hoc tamen discrimine , quod illi Christum futurum crediderint , haec vero Christum jam advenisse profiteatur , qui et plura divina mysteria luculentius ei reseravit II. quod omnes gentes sinu suo concludat , cum contra Hebraeorum Synagoga unius Israelitici populi finibus coercita fuerit.

De Apostolicitate Ecclesiae.

P r o p.ª I.

Vera Christi Ecclesia Apostolica est tum ratione originis , tum ratione doctrinae , tum ratione Episcoporum ab Apostolis ad nos usque serie non interrupta sibi mutuo succedentium.

Prob. et explicat. prima pars. CUm Christus Apostolis dixerit , *euntes docete omnes gentes* , sequitur illam esse veram Ecclesiam , quae ab Apostolis sui trahit exordium , sic Optatus (1) alloquebatur Donatistas , *vestrae Cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.* Ergo etc.

Prob. altera pars. Vera Ecclesia consistere nequit sine

(1) *Lib.* 2. *advers. Parmen. Cap.* 3.

doctrina Christi, quae certe alia non est ab ea, quam Apostoli disseminarunt ex ipsius Christi mandato, *docete omnes gentes*; hanc regulam nobis commendarunt Patres, ut doctrinae veritatem dignosceremus, ita Tertullianus (1) *id verius, quod prius*; *id prius, quod et ab initio*; *id ab initio, quod ab Apostolis*. Ergo etc.

Prob. tertia pars. Christus sic instituit Ecclesiam suam, ut eam regi voluerit pastorum ministerio, ita Apostolus (2) *Christus quosdam quidem dedit Apostolos . . . . . . pastores, doctores ad consummationem Sanctorum in aedificationem corporis sui*; Jamvero vera Christi Ecclesia ad consummationem saeculi est perduratura, ut ostensum est: ergo in vera Christi Ecclesia nequit intercipi successio Episcoporum ab Apostolis usque ad finem mundi.

PROP. II.

Ecclesia Romana est Apostolica triplici jam exposito sensu.

Prob. Ecclesia Romana est Apostolica I. ratione originis, quam ab Apostolis habuit; nemo enim vel infensissimus hostis potuit unquam designare vel auctorem, ex quo post Apostolorum tempora illa ortum duxerit, vel tempus, aut locum, quo id evenerit: quae facile a quovis indicantur de qualibet alia haereticorum secta.

II. Ratione doctrinae, quam ab Apostolis accepit; nam de Romana Ecclesia disserens Tertullianus (3) ajebat, *felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*: hanc porro doctrinam ipsa servavit integram, siquidem latent prorsus novitatis, si qua esset, tempus, locus, et auctor.

---

(1) *Lib. 4. advers. Marcionem Cap. 5.*
(2) *Ad Ephes. Cap. 4.*
(3) *Lib. de praescript. Cap. 36.*

III. Ratione Pastorum sibi continua serie ab Apostolis ad nos usque succedentium : id apertissima, et publica historiae monumenta testantur , adeo quidem , ut etiam nunc cum D. Augustino (1) quisque catholicorum asseverare possit , *tenet me in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli . . . . . usque ad praesentem Episcopatum , successio Sacerdotum.* Ergo etc.

COROLLARIUM.

Hinc haereticorum sectae , apostolicae non sunt : ipsis enim facile opponimus , quod olim aetatis suae haereticis objiciebat Tertullianus (2). *Edant origines suarum Ecclesiarum : evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem , ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis , vel Apostolicis viris . . . . habuerit auctorem, et antecessorem.*

§. III.

De Auctoritate Ecclesiae in iis , quae ad fidem pertinent.

CUm Ecclesia sit respublica quaedam propterea a Christo instituta , ut singula ejus membra sint *spiritus unus, et cor unum* , necesse est in ea admittatur Tribunal quoddam visibile , cujus infallibili judicio , quaelibet dirimantur fidei , morumque controversiae : dixi *infallibili judicio* , quoniam si hujusmodi non esset , nec finirentur fidei controversiae , nec fideles definitae veritati firmum praebere possent assensum.

(1) *C. Epist. Fundam. Cap.* 4.
(2) *Lib. de praescript. Cap.* 32.

Prop. I.

Ecclesia ipsa est Supremus, ac Infallibilis Judex controversiarum ad fidem spectantium.

Prob. prima pars. QUemlibet sub anathematis poena teneri jubet Christus ad audiendam Ecclesiam, tum maxime, cum fidei doctrinam proponit credendam, *si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* (1) Igitur nulli dubium, quin Ecclesia, auctore Christo, sit supremus Fidei controversiarum Judex.

Prob. altera pars. Ecclesia ex Christi institutione ejusmodi est, ut adversus eam portae inferi praevalere non possint; atqui praevalerent, si in his, quae ad fidem, moresque spectant, erraret: merito igitur D. Paulus Ecclesiam appellavit *Columnam, ac firmamentum veritatis*, quod scilicet in dirimendis fidei controversiis obnoxia nequit esse erroris periculo. Haec veritas Catholica, vel ab ipsis Ecclesiae incunabulis effulsit, cum ipsa de judicio in fidei controversiis a se prolato, nemini unquam fidelium sub anathematis poena permiserit dubitare: ergo Ecclesia semper credidit datum sibi esse divinitus, non errandi privilegium; adeoque ne dicamus veram Christi Ecclesiam in fidei professione errasse aliquando, firmiter tenendum est, Ecclesiam veluti supremum judicem in definiendis fidei controversiis nequaquam falli posse.

Prop. II.

Ecclesia Pastorum universitate infallibiliter judicat de rebus ad fidem pertinentibus.

Prob. CHristus (2) promisit se perpetuo adfuturum non modo Apostolis, sed et eorum successoribus, ne

(1) *Matth. Cap.* 18.
(2) *Matth. cap.* 28.

errarent in obeundo docendi ministerio, *docete*, inquit, *omnes gentes*, *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Certe Apostoli non erant in terris permansuri, neque docturi usque ad finem mundi; igitur eos alloquitur Christus prout unum efficiebant morale corpus cum Episcopis eorum successoribus (1). Huc quoque spectat Apostolus, sic scribens (2) ad Ephesios; *Ipse* (*Dominus*) *dedit pastores*, *et doctores* . . . , *ut jam non simus parvuli fluctuantes*, *et circumferamur omni vento doctrinae*; jamvero nisi hoc Pastorum tribunal a Christo institutum in definiendis fidei articulis, infallibilitatis praerogativa donaretur, profecto non eximerentur fidelium mentes ab omni prorsus haesitatione in iis, quae ad fidem attinent. Ergo etc.

S c h o l i o n

Ecclesia duplici potissimum ratione suos fideles edocet: vel cum toto orbe dispersa per suos pastores veram Christi doctrinam conservat, erroresque emergentes eorumdem consensu moraliter unanimi condemnat, et hoc sensu acceptam Ecclesiam infallibilem esse jam demonstravimus: vel cum in conciliis OEcumenicis coacta verum determinat scripti, vel traditi verbi divini sensum, et hoc altero sensu usurpatam Ecclesiam, ne falli quidem posse insequenti capite ostendemus.

C o r o l l a r i a

Ex iis, quae supra edisseruimus duo apertissima depromuntur contra Protestantes nostrae fidei capita. I. Sacram Scripturam non esse supremum, et infallibilem controversiarum judicem, tum quia Scriptura, ut alias adnotavimus, pluribus in locis obscuritatem praesefert, adeoque opus habet interprete a se distincto, qui ve-

(1) *Sic ratiocinatur D. Hieronymus in praefatam Evangelii sententiam.*
(2) *Cap.* 4.

rum, ac definitum ab illa sensum hauriat, tum qui Scriptura est regula silens, quae non potest seipsam exponere, nisi loquens Judex accedat, qui litem de ipso sensu Scripturae exortam finiat.

II. Neque privatum cujusque spiritum esse Supremum controversiarum judicem. I. quia nullus esset disputationi finis, cum privatorum nemo valeat litigantes compellere ad firmiter inhaerendum privatae sententiae. II. quia privatus spiritus in diversis hominibus varius, non servaret fidei unitatem, sed schismata potius pareret, cum quisque suo arbitratu diversa fidei dogmata sibi posset effingere.

CAPUT IV.

De Conciliorum Auctoritate.

CUm ex Apostoli testimonio (1) *oporteat et haereses esse*, hinc factum, ut in Ecclesia fere semper extiterint, qui traditam a Christo, et Apostolis veritatem erroribus suis commacularint, contra quorum insaniam, ut fidei divinae integritatem tutaretur Ecclesia, necesse habuit saepius Episcopos cogere, qui ex verbo Dei scripto, ac tradito, quid fidelibus credendum esset, proscriptis erroribus definirent. Hae Praesulum Ecclesiae definitiones alium nobis exhibent theologicum locum, quem *Conciliorum auctoritatem* dicimus.

Q. Quid, et quotuplex est Concilium?

R. Concilium dicitur *legitimus Episcoporum conventus, ut ea communi consensu dijudicent, quae ad fidem, mores, et disciplinam Ecclesiae pertinent*: rursus Concilium multiplex dicitur: *Generale* seu *OEcumenicum* illud vocatur, quod convocatis ex universo Orbe catholico Episcopis celebratur, universamque repraesentat Ecclesiam: *Nationale* quod unius Regni: *Provinciale*, quod alicujus Provinciae: *Dioecesanum*, quod

(1) *I. ad Corinth. Cap. 2.*

Dioecesis cujusdam particularis Ecclesiam exhibet. De Conciliorum particularium vi, ac ratione dissererdi hic locus non est : sed de OEcumenico Concilio, eiusque aucoritate dumtaxat pauca delibare, instituti ratio postulat.

PROP. I.

Fide certum est Laicos cujuscumque sint ordinis, et dignitatis, in Conciliis non habere jus suffragii definitivi, ubi de rebus fidei, ac mere spiritualibus agitur.

Prob. NOn laicis, sed unis Episcopis Ecclesiae moderandae munus est concreditum, ut Scriptura novi testamenti pluries manifestissime testatur : nam non laicos, sed Apostolos, eorumque successores *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (1), *eosdemque dedit Deus pastores, et doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinae* (2). Ergo ii solum, quibus in definienda morum, fideique doctrina, non errandi privilegium datum est, cujusmodi sunt Episcopi, quae fidei sunt, definire valent. Porro ab Apostolorum aevo ad nos usque, nullum Protestantes obtrudere possunt Concilium, in quo laici de rebus fidei, aut mere ecclesiasticis judicium tulerint ; ergo vel Ecclesia, quod laicos a Conciliis perpetuo excluserit, turpiter erravit, quod dictu nefas est, vel jus hoc in Conciliis ferendi suffragii laicis attributum, commentitium est.

(1) *Act. Cap.* 20
(2) *Ad Ephes Cap.* 4.

Prop. II.

Concilium vere OEcumenicum in definiendis fidei, morumque controversiis falli non potest.

Prob. COncilium generale universam repraesentat Ecclesiam, omnemque ejus complectitur auctoritatem: quandoquidem ut Concilium sit OEcumenicum necesse est omnes christiani orbis Episcopos vocari, et per se, vel per suos legatos eo numero convenire, ut suam, suarumque Ecclesiarum, et absentium Episcoporum fidem referant: quocirca Martinus V. illud quaeri jussit ab haereticis ad sinum Ecclesiae redeuntibus, hoc est *utrum credant quod Concilium generale universam repraesentet Ecclesiam.* Jamvero Ecclesia, quae intima Spiritus Sancti virtute regitur in definiendis fidei, morumque articulis infallibilis est, ut supra ostendimus: ergo fidei, ac morum canones in OEcumenica Synodo conditi infallibilis sunt auctoritatis. Ad haec ipsimet Apostoli (1) definitionem primi Concilii Hierosolimitani, quod ceterorum norma fuit, Spiritui Sancto adjudicarunt his verbis, *visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Hinc jure quovis saeculo ab Ecclesia habiti sunt, ut haeretici, qui Conciliorum generalium definitionibus ad fidem spectantibus acquiescere detrectarunt.

Corollarium.

Quare si Concilii alicujus convocatio sit generalis, idest ut omnibus Ecclesiae Provinciis innotescat, et nullus excludatur Episcopus, nisi fuerit excommunicatus, ac demum ex majori parte Provinciarum Ecclesiae, revera aliqui conveniant Episcopi, qui absentium vota, et vices suppleant; nulli dubium quin huiusmodi Concilium sit OEcumenicum: quod rursus legitimum erit si convocati Episcopi in ferendis suffragiis libertate gau-

(1) *Act. Cap.* 15.

deant, si divinae Scripturae, ac Traditionis doctrinam rimentur, si denique morali *unanimitate* fidei definitionem proponant: quapropter Concilia, quae hisce dotibus insigniuntur ut OEcumenica, ac legitima agnoscuntur ab Ecclesia, eorumque definitiones infallibili pollent auctoritate.

SCHOLION.

Ex Jurisdictionis Primatu Rom. Pontificis jus enascitur indicendi Synodum OEcumenicam, quod exploratum est inter Catholicos: et revera Patres sextae Synodi generalis (1) alloquentes Constantinum Imperatorem, omnium praecedentium Synodorum convocationem Summis Pontificibus adscribunt: id adeo per se patet, ut ne ipsi quidem haeretici Concilium Tridentinum propterea rejiciunt quod auctoritate Pontificis, non Caesaris fuerit congregatum.

Q. Quanam dicendi ratione uti solet generale Concilium, cum aliquid tanquam de fide credendum proponit fidelibus.

R. Si haec adhibeat verba I. *Si quis contrarium dixerit anathema sit.* II. *Si quis contrarium senserit pro haeretico habeatur.* III. *Id a fidelibus firmiter tanquam de fide credendum est.* IV. *Id revelationi contrarium esse constat*; vel demum si alias ejusdem generis loquendi formas usurpet.

SCHOLION.

Quamvis haeresis notam effugeret, qui generalis Concilii definitionibus fidei, ac morum acquiescere non recusat; tamen si Conciliorum decreta etiam de rebus ad fidem *immediate* non pertinentibus in dubium revocaret, tanquam irrationalem spiritum, turbulentum, et subjectionis impatientem apertissime se ostenderet; cum eam, quam debet perfectam obedientiam ecclesiasticis superioribus denegare videretur.

---

(1) *Actione* 16

Prop. III.

Concilia in his, quae ad fidem spectant veram, et judicialem, non vero Consilii tantum auctoritatem habent.

Prob. IN Concilio Hierosolimitano, non ait Jacobus *ego consulo*, sed *ego judico*; apposite in hanc sententiam D. Chrisostomus (1) inquit *quid sibi vult illud judico, idest cum potestate dico rem ita esse*: nec Apostolus ibidem ejusdem Concilii decreta appellavit monita, vel consilia, sed *Apostolorum praecepta*: merito a suis primordiis Ecclesia praefatam auctoritatem legiferam, et judicialem semper exercuit, ut patet ex Conciliorum collectionibus; alioqui Christus Ecclesiae suae paci satis non providisset.

CAPUT V.

De Romano Pontifice.

QUamvis Apostoli pro Christo legatione fungentes ligandi, atque solvendi potestate fuerint exornati, ut Christianum gregem instruerent, pascerent, ac regerent; ut tamen rectus ordo, ac Fidei unitas servaretur, Petro ejusque successori clavium potestas singulari modo delata est, super ipsum veluti firmam Petram, auctore Christo, Ecclesia aedificata, cujus cura, et sollicitudo, atque insuper depositi fidei custodia eidem prae ceteris concredita est. Hinc de Rom. Pontifice Petri successore disseremus, ea dumtaxat delibantes, quae fides catholica proponit credenda. Verum paullo fusius, quam instituti nostri ratio poscit ea edisseremus, ut Primatus notio, quam ab Apostolis ad nos usque continenti traditione educerunt Patres, hoc imprimis tempore omnium oculis luculentissime objiciatur.

---

(1) *Homil.* 33. *in act.*

Prop. I.

D. Petrus a Christo Primatum obtinuit supra ceteros Apostolos : sic contra Acatholicos.

Prob. CHristus D. Petro promisit Primatum, et contulit: promisit apud Matthaeum (1), sic Petram alloquens, *ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . et tibi dabo claves regni Coelorum.* Is igitur princeps censendus, super quem aedificatur Ecclesia; sicut praecipuum fundamentum illud est, cui domus materialis superstruitur: rursus cui traduntur claves, illi summa gubernandi potestas tribuitur; claves autem Petro concredidit Christus. Quare prae ceteris Apostolis Primatum habuit Petrus; praeterea sicut prae ceteris Christi divinitatem confessus est, ita prae ceteris singulari eum privilegio remunerare voluit Christus; jamvero nullam specialem Christus dedisset Petro mercedem, si parem cum ceteris Apostolis eum fecisset, eandemque cum ceteris ipsi auctoritatem concessisset. Ergo etc. Hunc denique Primatum Petro contulit Christus, cum apud Joannem (2) ei dixit *pasce oves meas*, quibus verbis summus ipse fidelium Pastor a Christo fuit constitutus. Jure igitur Concilium Constantiense (3) proscripsit articulum septimum Joannis Hus, *Petrus non fuit, nec est Caput Ecclesiae Catholicae.*

Scholion

Allatis Scripturae testimoniis Primatum jurisdictionis designari, constans, ac universalis Patrum traditio testatur. Patres enim docent *Summam rerum de pascendis ovibus et dominica voce totius Ecclesiae curam commissam esse* Petro (4), quem modo appellant *omnium Apo-*

(1) *Cap.* 16.
(2) *Cap.* 21.
(3) *Sess.* 15.
(4) *S. Greg. Magnus lib.* 4. *Epist.* 32. *ad Mauritium.*

stolorum Caput (1), modo *Apostolorum Supremum Principem* (2), modo *Ecclesiae Pastorem*, *et Caput* (3), modo *primum Apostolorum Caput*, *et verticem* (4), modo tradunt *eum primatum tenere*, *ceteris praeferri discipulis*, *omnibus anteferri* (5), ac demum *inter duodecim unum electum*, *ut capite constituto*, *schismatis tollatur occasio* (6).

COROLLARIUM

Itaque immerito Protestantes abutuntur testimonio D. Cypriani, qui licet (7), haec docuerit, nimirum *hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti, et honoris, et potestatis*, statim tamen haec subjungit verba, *sed exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur*, haec accuratius velim expendant Acatholici.

PROP. II.

Romanus Pontifex D. Petri successor jure divino Primatum jurisdictionis habet in omnes orbis Ecclesias, et Episcopos particulares; ita adversus Protestantes Wiclefum, et Joannem Hus.

Prob. Constans, ac perpetua Ecclesiae traditio est Romanos Pontifices esse B. Petri successores, et quidem D. Cyprianus (8) Fabianum tanquam Petri successorem agnovit: rursus omnes Rom. Pontifices usque ad Siri-

(1) *Optat. Milev. lib. 2. et lib. 7.*
(2) *S. Cyril. Hierosol. Catechesi 2.*
(3) *S. Basil. serm. de Judicio Dei.*
(4) *S. Chrisost. homil. 86. in Matthaeum.*
(5) *S. Aug. lib. 2. de Baptis. contra Donatist.*
(6) *S. Hieronym. lib. 1. advers. Jovinianum cap. 14.*
(7) *In Lib. de Unit. Ecclesiae.*
(8) *Epist. 52.*

cium, ut Petri successores fassus est Optatus Milevitanus (1): eodem modo Damasum agnovit S. Hieronymus (2), sic omnes post Petrum Romanos Pontifices usque ad Anastasium confessus est S. Augustinus (3). Denique tanquam D. Petri successorem Eugenium agnovit D. Bernardus (4) inquiens: *Tu Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum . . . . habent illi assignatos greges . . . . tibi universi crediti sunt ... nec modo Ovium, sed et Pastorum omnium tu unus Pastor. Unde id probem quaeris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? si me amas, Petre, pasce oves meas.* Exploratum est igitur Rom. Pontificem esse D. Petri successorem, cujus proinde Primatum habet, ut Patres primi Concilii Nicaeni testati sunt his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.*

Iste porro Primatus Rom. Pontificis jurisdictionis est, et quidem jure divino: etenim Concilium Lugdunense, cui et Latini, et Graeci Praesules interfuere sub Gregorio X. Rom. Pontificem appellat *Vicarium Christi, Successorem Petri, et Rectorem universalis Ecclesiae.* Postea vero habitum est Concilium Constantiense, in quo damnati sunt Wiclefus, et Joannes Hus, quod Rom. Pontifici abjudicaverant primatum jurisdictionis, atque illud cautum est (5) omnes de haeresi Wiclefi suspectos hoc pacto esse interrogandos: *utrum credant, quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi, ac solvendi super terram*: Item *num credant, quod Papa sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* Igitur Rom. Pontifex Primatum habet jurisdictionis, cum *supremam habeat in Ecclesia Dei auctoritatem*, et quidem jure divino, cum B. Petri sit successor.

---

(1) *Lib.* 2. *contra Parmenianum.*
(2) *Epist.* 57.
(3) *Epist.* 265. *ad Generosum.*
(4) *Lib.* 2. *de considerat. cap.* 8.
(5) *Ut ex Constit. Martini V.*

Hanc fidem professa est, ac definivit Ecclesia in duobus Conciliis OEcumenicis coacta: nam saeculo XV. Concilium Basileense agnovit *quod Summus Pontifex sit caput, et Primus Ecclesiae Vicarius Christi, et a Christo non ab hominibus vel Synodis aliis praelatus, et Pastor Christianorum. Quod ei datae sint a Domino claves, et uni dictum sit, tu es Petrus: et solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, et alii in partem sollicitudinis . . . . Ista plane fatemur, et credimus*, ita rem expediunt ejusdem Concilii Patres.

Eodem saeculo definitionem habemus hac in re Concilii Florentini his conceptam verbis. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et R. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Rom. successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere: et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Conciliorum OEcumenicorum, et in Sacris Canonibus continetur.*

Nil mirum igitur, si Pius. VI. hujusmodi articulum Christianae fidei professioni inseruerit his verbis, *Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, et Jesu Christi Vicario verum obedientiam spondeo, ac juro*: quam fidei professionem tota recepit Ecclesia.

Scholion.

Venerandae antiquitatis monumenta primatum jurisdictionis Rom. Pontifici asserunt, et confirmant: Canones enim Concilii Sardicensis, quod S. Athanasius appellat *magnam Synodum, atque ex toto orbe convocatam* (1), Episcopo Romano attribuunt potestatem judicandi appellationes ab Episcopis depositis factas ad Ro-

(1) *Lib.* 1 *Epist.* 82 *ad Monachum Hilarium.*

manam Sedem, adeo quidem, ut appellationum usus tum in Ecclesia Occidentali, tum Orientali frequentior fuerit post praedicti Concilii tempora. Quid quod non solum Episcopi, sed et inferiores Clerici poterant appellare ad Rom. Pontificem, et revera aliquando videntur appellasse etiam in prima instantia, cujus appellationis meminit Gregorius M. (1): nec mirum, siquidem jus appellandi consurgit ex illo universali, ac spirituali principatu, quo Christus extollere voluit Petrum, ejusque successores, cum dixit, *pasce oves meas*: *confirma fratres tuos*. Frequentissima particularium Ecclesiarum exempla, quarum Clerici inferiores appellarunt ad R. Pontificem in suis caussis, cognoscere licet apud Nat. Alexan. (2).

Q. Quaenam igitur de Rom. Pontifice cuique Catholico necessario credenda sunt?

R. Praeter ea, quae hactenus de Primatu dicta sunt, Catholici omnes fateantur oportet Rom. Pontificem in ordine Hierarchico supremi Pastoris munere praeditum esse, eique jus competere plura dispensandi, ac providendi in commune Ecclesiae bonum, quae singulis inferioris ordinis Praelatis nec competunt, nec conveniunt; quandoquidem Catholicorum omnium profitetur fides communem Capitis, et Pastoris rationem *immutabili*, *et divina ordinatione* statutam in Rom. Pontifice resídere (3).

CAP. VI.

De Sanctorum Patrum auctoritate.

Cum singulari Dei provvidentia factum sit, ut non pauci Ecclesiastici Scriptores doctrina, ac sanctitate conspicui extiterint, qui ex communi Ecclesiae consensu fi-

(1) *Initio Apolog.* 2.
(2) *Saecul.* 4. *Dissert.* 28. *Hist. Eccl.*
(3) *Haec in fidei Catholicae Analysi notat Henricus Holdenus.*

dei, morumque doctrinam ab Apostolis acceptam tuerentur, puramque ad nos contra Acatholicos transmitterent: hinc in exponendis Ecclesiae Dogmatibus Sanctorum Patrum auctoritas exurgit, cujus quanta sit vis, subjecta propositione ostendetur.

Propositio Unica.

Unanimis Patrum in aliquod dogma consensus certissimum praebet veritatis argumentum.

Prob. Ecclesia semper agnovit Patres tanquam Traditionis testes, atque in Synodis coacta, ipsorum auctoritate tanquam stabili fundamento usa est ad sua decreta constabilienda: diserte in hanc rem Vincentius Lirinensis inquit, *divinitus placuit* (Concilio Ephesino) *nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas: necesse est igitur omnibus Catholicis, qui se se Ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut Sanctae Sanctorum Patrum fidei adglutinentur, immoriantur, profanas profanorum novitates detestentur, horrescant, persequantur.* (1). Quare Concil. Constantinopolitanum III. (2) sic statuit, *omnino necesse est non solum secundum sensum, sequi SS. Patrum dogmata, sed iisdem uti vocibus cum illis, nihilque penitus innovare* Ergo etc.

Corollarium.

Hinc consentiens Patrum omnium, vel fere omnium sententia in rebus fidei, et morum infallibilis existimanda est: idque propter Ecclesiae traditionem, cujus ipsi testes sunt omni exceptione majores. In quaestionibus vero philosophicis, aut aliis ejusmodi, quas Deus Ecclesiae per Christum, et Apostolos revelare noluit, non magis ipsorum auctoritas valet, quam rationes, quas

(1) *In Calce II. Commonitorii.*
(2) *Act.* 12.

afferunt: quin immo nec in omnibus, quae in theologico genere edisseruntur quaestionibus, eorum auctoritas certo sequenda est; nam in theologicis disciplinis disputatur de non paucis, quae ad doctrinam fidei, aut morum nec necessaria sunt, nec utilia, adeoque nec revelata, nec tradita, sed sola ratione inventa: qua in re audiatur Vincentius Lirinensis, sic scribens (1). *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinae legis quaestiunculis, sed solum in fidei regula nobis certo est sequenda, atque in his praecipue quaestionibus, quibus Catholici dogmatis fundamenta nituntur.*

Scholion

Cum unanimem Patrum consensum diximus ad confirmandum aliquod fidei dogma requiri, id nonnisi de ipsorum consensu morali accipi volumus: quandoquidem non omnes Ecclesiae Patres de omnibus Christianae Fidei dogmatibus disseruerunt, quin immo eorum plures quaedam dogmata obscurius attigerunt, propterea quod nemo haereticorum adhuc ea palam impugnare ausus fuerat, et ut inquit D. Augustinus *loquentes in Ecclesia Catholica securius loquebantur.* Quocirca in aliquo dogmate comprobando eorum Patrum auctoritas majoris momenti censenda est, qui vel expresse contrarium errorem oppugnarunt, vel eo penitus jam disjecto, scripta sua exararunt. Praeterea graecis Patribus, illis nempe, quorum auctoritas inter alios longe praestat, jure accensentur SS. Athanasius, Basilius, Greg. Nanzianzenus, ac Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrisostomus etc. Latinae vero Ecclesiae Patres, qui super alios excellunt merito habentur SS. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Gregorius, ac tandem Bernardus, qui Patrum aetatem postremus clausit.

APPENDIX DE AUCTORITATE THEOLOGORUM

SS. Patrum auctoritatem excipiunt theologorum scripta: hi sane licet Patrum vestigiis inhaerentes in explicandis

(1) Cap. 32.

Catholicae fidei dogmatibus plurimum insudarint; eorum tamen plurimi ab ea disceptandi ratione, quam tenuere Patres discesserunt, quod rem theologicam philosophiae lumine praesertim Peripateticae persequi voluerunt. Quare theologorum auctoritas in quaestionibus, quae cum philosophicis scientiis affinitatem habent, ex rationum, quas afferunt, momentis expendenda est; sin vero ipsi Sacrarum Litterarum, ac SS. Patrum auctoritatem secuti, unanimi consensu theologicam aliquam expediunt controversiam, in hac specie, inquam, eorum auctoritas locum theologicum constituit, unde nobis depromere licet argumentum ad veritatem aliquam confirmandam.

APPENDIX ALTERA.

De Christianae Fidei Analysi, seu resolutione.

OBsequium, quo intellectum nostrum captivamus caussa assentiendi veritatibus Fidei, teste Apostolo, rationabile sit oportet; quare non caeco animi impetu, neque omni doctrinae vento abrepti, sed rationis lumine ducti assensum a Deo revelatis praebere debemus: quae autem firmior esse potest ratio, cui Fidei nostrae certitudo innitatur, nisi illa, quae certo nobis suadet Deum summam, primamque veritatem ea aperuisse, quae credimus? Quod si quis quaerat, quomodo nobis exploratum fiat, Deum revera manifestasse, quae fide tenemus, in promptu responsio est, nimirum in verbo Dei scripto, ac tradito quaecumque fidei sunt, contineri. Si praeterea ipse sciscitetur, unde innotescat verbum scriptum, ac traditum esse divinitus acceptum, ac eum praeseferre sensum, quem ei attribuimus? Facilis erit responsio, scilicet Ecclesiae auctoritate haec omnia nobis suaderi: si demum ipse idem quaerat, qui fieri possit, ut Ecclesia isthaec in edocendis fidei veritatibus non fallat? Illud erit responsum, nempe Ecclesiam esse a Deo institutam, ejusque infallibili spiritu informari, quod liquet ex Prophetarum oraculis eventu comprobatis, infinito propemodum Martyrum numero, Legis sancti-

tate, miraculorum efficientia, atque constanti ejusdem omnino doctrinae praeceptione. His sane ratione momentis nostrae fidei veritas contra Infideles asseritur. Haeretici porro, qui certam habent sacrarum Litterarum novi testamenti divinitatem, haud dubie a nobis profligantur, cum eis Ecclesiae infallibilitatem ostendimus argumento ducto ex divina auctoritate eorumdem librorum novi fœderis. Formalis itaque credendi ratio, est divina revelatio quam Ecclesia columna, ac firmamentum veritatis nobis proponit. explicatque.

Qui a Catholica religione defecerunt, cum infallibilis Ecclesiae magisterium respuant, necesse est ut fluctuantes circumferantur omni vento doctrinae; ipsis namque nulla certa suppetit ratio eorum, quae credere profitentur: et sane quomodo ipsi poterunt infallibili certitudine sibi in animum inducere, a Deo accepisse ea doctrinae capita, quae credunt? qua ratione ipsis exploratum esse poterit sacrarum Litterarum libros esse divinitus inspiratos? cujus rei adminiculo indubius eis esse poterit verus ac genuinus eorumdem librorum sensus? Acatholicis itaque, qui infallibilis Catholicae Ecclesiae auctoritatem detrectant, incerta erunt omnia religionis suae capita.

PARS PRIMA

DE DEO, DIVINISQUE ATTRIBUTIS.

TOtam de Deo, ejusque attributis tractationem duplici capite absolvemus, quorum uno de Dei existentia, altero de divinis attributis in universum, ac nominatim sumptis quam maxima brevitate disseremus.

CAP. I.

De Dei existentia.

Q. QUid est Deus?

R. Est ens a seipso existens, et infinite perfectum, quod omnium aliorum entium caussa effectrix et.

Prop. I.

Existit Deus.

Prob. ET primo, praetermissis ex industria argumentis, quae ad ostendendam Dei existentiam usurpant metaphisici, illud unum hic palmare argumentum selegimus, quod Auctores sacri passim suis in libris omnium oculis subjiciunt, quod certe nemo sanae mentis infirmum dixerit. Illud vero de.umitur ex mirabili hujus mundi structura, ut Auctor *Sapientiæ* his verbis indicat *a magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (1): ejusmodi enim est universi species, ordo, omniumque rerum administratio, ut nisi ab infinita potentia, sapientia, et causa summe efficaci illud esse nequeat; jamvero ea infinita sapientia, potentia, et causa summe efficax Deus est. Existit igitur Deus, ita Regius Psaltes canebat (2). *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*; cui concinit Jobus (3), inquiens, *loquere terrae et respondebit tibi.. Quis ignorat, quod haec omnia manus Domini fecerit.* Ergo etc.

Praeterea ipsa ratione perspicimus omnia, quae in hac rerum universitate sunt, ab alia causa sui existentiam habere; cum ita sunt, ut aliter esse queant: jamvero in causarum serie non licet in infinitum progredi: est igitur necesse, ut ad aliquod primum ens deveniamus aeter-

(1) *Cap.* 8.
(2) *Psal.* 18.
(3) *Job. Cap.* 12.

num, a se ipso, ac suae naturae necessitate existens, a quo cetera originem traxerint: hoc ens primum non aliud est, nisi Deus infinite perfectus.

Scholion

Qui huic tam splendidae veritati occludunt oculos, ut suis cupiditatibus indulgeant liberius, Athei *corde* appellantur, ut loquitur Psalmista, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (1). At nemo est, modo concupiscentiae aestu non abripiatur, qui sui conscientiam intus clamantem non persentiscat, *scitote quoniam Deus . . . ipse fecit nos, et non ipsi nos* (2). Quare Atheos theoricos dari negant sacrae Litterae.

Prop. II.

Deum verum a nemine rationis compote, inculpate ignorari posse Scriptura, ac Patres docent.

Prob. Apostolus ad Rom. (3) affirmat ex aspectabili rerum universitate Dei existentiam adeo omnibus constare, ut qui eam ignorant, sint inexcusabiles, *invisibilia enim*, inquit, *ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Hinc David Deum rogavit, ut acriter in eos animadverteret, qui divinam existentiam ignorabant, *effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt* (4). Divinis hisce oraculis accedunt Patres, qui neminem prorsus Deum ignorare posse tradiderunt, quin divinam ultionem mereatur, *haec est summa delicti*, inquiebat Tertullianus (5),

---

(1) *Psal.* 13.
(2) *Psal.* 99.
(3) *Cap.* 1.
(4) *Psal.* 78.
(5) *In Apologet. Cap.* 17.

nolentium recognoscere (Deum) *quem ignorare non possunt.*

C o r o l l a r i u m.

Quamobrem non datur peccatum philosophicum, quod ignorantiae Dei invincibili superstruitur, ut Ecclesia (1) expresse docuit, subjectam hanc propositionem diris devovens *peccatum philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, atque aeterna poena dignum.*

P r o p. III.

Deus unus est: sic contra Polytheistas.

Prob. UTriusque testamenti paginae eo spectant, ut unum Deum ubique agnoscamus, eique uni latriae cultum tribuamus: sic ipse ait Deus in Deuteronomio (2) *videte quod ego sim solus; et non sit alius Deus praeter me*: et Apostolus inquit (3) *scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus* Hinc Tertullianus Dei unitatem demonstrans, ajebat, *Deus est ille, cui nihil est par* (4). Si plures dii existerent, perfectiones, quae uni convenirent, alteri deessent, adeoque neuter esset Deus, quia neuter absolutissimus esset; ex his intelligitur pervulgata illa Patrum sententia *pluralitas Deorum est nullitas Deorum.*

S c h o l i o n

Quare labascit putidissimum Manicheorum commentum, qui duo increata principia jactabant, quorum al-

(1) *Ita Aex. VIII.*
(2) *Cap.* 32.
(3) *I. ad Corinth. Cap.* 8.
(4) *Lib.* 1. *advers. Marcionem Cap.* 3.

terum cuiusque boni, alterum cuiusque mali auctorem esse effutiebant: siquidem existentia increati principii mali intrinsecus repugnat; illud namque summum malum esset, quod proinde excluderet quidquid boni existit, ac propterea excluderet quoque existentiam, quae non minimum bonum est.

Scholion.

Cum sacrae litterae plurimis in locis Deum nobis exhibeant ut hujus Universi creatorem, conservatorem, et gubernatorem, item tanquam ens ab omni materiae concretione purissimum, immutabile, immortale, atque omni perfectionum genere absolutissimum, ut infra ostendemus, sequitur turpissime errasse Pantheistas, qui Dei essentiam non esse ab hac rerum universitate diversam somniarunt.

Q. Quid si quis curiosius quaerat, cujusmodi sit Deus in se?

R. Nemo unquam mortalium sine lumine gloriae novit, aut nosse potuit Deum cujusmodi est in se, *habitat* enim (Deus) *lucem inaccessibilem* (1) Hinc illud commune Theologorum effatum, nos hic in terris potius cognoscere quid non sit Deus, quam quid sit. Audiatur hac de re Augustinus (2) *et quid est?* (Deus) *hoc solum potui dicere quid non sit. Quaeris, quid sit? quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendtt. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Illud porro de Deo vere praedicare possumus, quod de se ipso Moysi dixit: *Ego sum qui sum*, unum Deum scilicet necessario existere, cum omnia prorsus praeter ipsum sint contingentia. Deum ergo cognituros in patria speramus, cum videbimus eum sicuti est.

---

(1) *I. ad Timoth. Cap.* 6.
(2) *In psal.* 85.

CAP. II.

De Divinis attributis in genere.

Q. Quid sunt attributa divina?

R. Nihil aliud sunt nisi quaedam perfectiones, quae de Deo proprie praedicantur: rursus illa, alia sunt absoluta, ut Bonitas, Æternitas, Sapientia etc. alia sunt relativa *ad intra*, id est ad divinas personas, et de his sermo erit in tractatu de Trinitate: alia demum sunt relativa *ad extra*, idest ad res creatas, ut Omnipotentia, Justitia, Providentia etc.

Prop. I.

Quodlibet attributum Dei est infinitum.

Non minus enim divinae essentiae, quam divinis attributis convenit *Infinitas*: *Magnus est Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus, non est finis* (1). Adeoque sicut Deus dicitur infinitus, ita quoque infinita est ejus Sapientia, Bonitas, Justitia, Veritas etc.

Corollarium.

Hinc Deus propter sui *infinitatem* complectitur omnes etiam creaturarum perfectiones, quae sunt quaedam imperfecta participatio perfectionum Dei; sicut lux terrestrium corporum est quaedam participatio lucis solis.

§. I.

De distinctione attributorum tum inter se, tum a divina essentia.

Distinctio hic duplex animadvertenda: una *realis*, quae ante omnem mentis operationem vel inter duas

(1) *Psal.* 144.

res, vel inter rem, et ejus modificationem, vel inter varias ejusdem rei modificationes versatur: altera *virtualis* seu rationis, per quam intellectus apprehendit unam objecti perfectionem sine alia, quae tamen revera est unum idemque cum illa.

PROP.

Datur aliqua rationis distinctio inter Dei essentiam et illius attributa: ita contra Eunomianos.

NAm idea essentiae divinae non praebet explicite notionem attributorum, nec vicissim: siquidem essentia divina concipitur ab intellectu nostro tanquam radix attributorum, et attributa tanquam proprietates essentiae. Cum autem hujus distinctionis ope explicetur, quomodo Pater communicet Filio suam essentiam, non vero paternitatem etc. patet inde in quot gravissimos errores contra Trinitatis mysterium se se conjiciant, qui praefatam propositionem respuunt (1).

PROP. II.

Fides docet inter Dei essentiam, ejusque attributa nullam dari distinctionem realem.

IN sacris Litteris Deus dicitur *Sapientia* (2), et Christus ipse testatur se esse viam, veritatem, et vitam (3); Sed haec attributa non possent de Deo praedicari, nisi unum idemque essent cum ipso Deo, seu Dei essentia: Hinc SS. Patres quorum testimonia collegit D. Bernardus in Concilio Rhemensi docent divinam Essentiam, Naturam, Deitatem, Bonitatem, Sapientiam, Voluntatem, Scientiam etc. vere esse Deum. Apposite D. Au-

(1) *Vide Basil. Lib. I. contra Eunomium, et Greg. Nyss. Lib. 12. adversus eundem.*
(2) *Proverb. Cap. 8,*
(3) *Joann. Cap. 14.*

gustinus *essentia tua est*, *et scit incommutabiliter*, *scientia tua est*, *et vult incommutabiliter*, *et voluntas tua scit et vult incommutabiliter* (1). Merito igitur contrarium sentientes damnati sunt in praefata Synodo sub Eugenio III. Ad haec expositum modo fidei dogma in Concil. Lateran. sub Innoc. III. Ecclesia professa est his verbis: *Nos sacro*, *et universali Concilio approbante*, *credimus*, *et confitemur* . . . . *quod una quaedam summa res est*, *incomprehensibilis quidem*, *et ineffabilis*, *quae veraciter est Pater*, *et Filius*, *et Spiritus Sanctus*. Ergo etc.

§. II.

De divinis attributis in specie.

DE SIMPLICITATE DEI

PROP.

Deus est omnino simplex.

Deus enim prorsus excludit quidquid corporeum est, ut docet Joannes in Evangelio, inquiens, *Deus Spiritus est* (2): Praeterea Deus is est, quem *Caeli Caelorum capere non possunt* (3), idest nullo loco definiri potest; igitur omnis corporeae concretionis expers est, cum unum corpus loco circumscribi possit.

COROLLARIUM.

Quamobrem, cum sacrae Litterae Deo tribuunt oculos, aures, manus, brachia etc. metaphorico sensu sunt accipienda, adeo quidem, ut per oculos scientia, cui omnia patent, per manus, et brachia omnipotentia, per aures benignitas, et misericordia Dei designantur;

(1) *Confess. Lib.* 13.
(2) *Cap.* 4.
(3) *Lib.* 3. *Regum Cap.* 8.

sicut eaedem sacrae Litterae alibi monent; *numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut homo videt, et tu videbis* (1)?

§. III.

De immensitate Dei.

Q. QUid est divina immensitas, et quotuplici sensu Deus dici potest immensus?

R. Immensitas est attributum illud, quo Deus locis omnibus, ac rebus adest: dicitur vero immensus tum ratione scientiae, qua omnia praeterita, praesentia, et futura noscit, tum ratione potentiae, qua omnia in omnibus operatur, tum demum ratione suae substantiae, qua omnia penetrat, atque intime praesens est.

PROPOSITIO.

Fides docet Deum ratione substantiae divinae immensum esse, idest rebus omnibus, ac locis intime adesse.

NAm apud Jeremiam (2) legimus; *numquid non Caelum, et terram ego impleo, dicit Dominus*: et in actis Apostolorum (3) Deus dicitur non longe esse ab unoquoque nostrum, *in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Si Deus sola sua virtute omnia compleret, sequeretur etiam Deitate omnibus rebus intime adesse, *cum enim alia non sit Dei virtus, quam Deus, constat quod . . . . ubicumque praesens est opere, praesens etiam necesse est, ut sit Deitate*, ita ratiocinatur Hugo Victorinus (4). Quare D. Bernardus ceterorum Patrum sententias secutus, diserte ait, *Deus aequaliter ubique totus est per suam simplicem substantiam* (5).

(1) *Job. Cap.* 10.
(2) *Cap.* 23.
(3) *Cap.* 17.
(4) *Tom.* 3. *Lib.* 7. *Cap.* 19.
(5) *Homil.* 3. *de laud. Virginis Matris.*

§. IV:

De Æternitate Dei.

Q. QUid est aeternitas?

R. Cum Boetio (1) est *interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio*; quapropter a perfecta notione aeternitatis omnis ratio successionis quam longissime abest; apprime D. Augustinus (2) *nihil praeterit in aeterno, nihil futurum est.* Hinc Deum alloquens D. Anselmus, ajebat, *nec tu habes partes, nec tua aeternitas . . . sed ubique totus es, et aeternitas tua tota est semper* (3).

P r o p o s i t i o.

Deus est Æternus.

HAnc fidei veritatem aperte tradit Scriptura: *Vivo ego in aeternum*, inquit Deus (4), et in Psalmis *a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus*, et alibi *Dominus in aeternum permanet* (5). Et sane cum Deus necessitate suae naturae existat, si quo temporis articulo conciperetur non existens, prorsus evanesceret ratio entis necessarii. Ergo etc.

§. V.

De Immutabilitate, et Libertate Dei.

Q. QUid venit nomine divinae immutabilitatis?

R. Immutabilitas est illud Dei attributum, quo Deus ita semper, et in eodem statu permanet, ut nullam possit novam perfectionem acquirere, vel acquisitam amittere, vel consilium suae voluntatis mutare.

---

(1) *Lib.* 5. de *Consol. Philos.*
(2) *Lib. de vera Relig. Cap.* 49.
(3) *In Prosolog. Cap.* 18.
(4) *Deuteron. Cap.* 32.
(5) *Psal.* 9.

Prop. I.

Deus est omnino Immutabilis.

ID expresse docet Scriptura: testatur enim ipse Deus, *ego Dominus*, *et non mutor* (1); et alibi apertius *apud quem* (Deum) *non est transmutatio*, *nec vicissitudinis obumbratio*. Rursus quaelibet mutatio, quocumque modo eveniat, semper aliquid imperfectionis secumfert; quod Deo repugnat, cum ens illud sit, quo nihil perfectius excogitari potest. Igitur etc.

Corollaria.

I. Hinc in rerum creatione nullam subit Deus mutationem; quandoquidem *ad opus novum*, ut inquit D. Augustinus (2), *non novum*, *sed sempiternum Deus adhibet consilium*.

II. Ex immutabilitate Dei, sequitur ejus immortalitas, quia *vera immortalitas*, incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius *est Creatoris* (3), ut monet Apostolus, inquiens, Deus *qui solus habet immortalitatem*. Immortalitas itaque Deo convenit vi suae naturae, creaturis vero spiritualibus ex voluntate Dei, cui placuit eas aeternum servare.

Prop. II.

Deus est omnino liber cum agit extra se.

CUm Deus operatur intra se, agit necessario, sic e. g. cum amat seipsum, necessario amat: cum vero operatur extra se, agendi, vel non agendi facultate gaudet, ut manifeste testantur Scripturae cum docent, Deum non ex necessitate naturae, sed ex consilio suae voluntatis operari; *operatur omnia secundum consilium suae voluntatis* (4); item singulis hominibus dona impertiri

---

(1) *Malach. Cap.* 3.
(2) *Lib.* 12. *de Civ. Dei Cap.* 17.
(3) *Augustinus Lib.* 1. *de Trinit. Cap.* 1.
(4) *Ad Ephes. Cap.* 1.

ut ipsi lubet; *haec omnia operatur unus, atque idem* *·itus, dividens singulis prout vult* (1). Ergo etc.

§. VI.

De Onnipo:entia, Justitia, et Misericordia Dei.

P R O P. I.

Deus est Omnipotens.

NAm fides docet Deum infinita virtute pollere, ac ıidquid vult exequi, ut saepissime inculcat Scriptura: go *Deus Omnipotens* (2): et alibi *apud Deum omnia* *›ssibilia sunt* (3): *Unus est Altissimus Creator Omni-* *otens* (4). Ergo nihil expressius in divinis litteris desinatur, quam Dei Omnipotentia.

P R O P. II.

Justitia in Deo est.

NOn quidem commutativa, qua ad aequalitatem redditur alteri quod ei debitum est, cum ex nobis nihil habeamus, quod Deo conferre possimus, *quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* (5) bene vero in Deo est justitia distributiva, et vindicativa: distributiva quidem, qua merces pro meritis rependitur, ut tradit Apostolus (6) *reddet unicuique secundum opera ejus*: vindicativa rursus, qua pro criminis ratione poena infligitur, ut in Apocalypsi legimus (7) *quantum in deliciis fuit*,

(1) *Ad Ephes. Cap.* 1.
(2) *Apost.* 1. *ad Corinth. Cap.* 12.
(3) *Genes. Cap.* 17.
(4) *Matth. Cap.* 19.
(5) *Eccl. Cap.* 1.
(6) *Apostolus ad Rom. Cap.* 11.
(7) *Ad Rom. Cap.* 2.

tantum date illi tormentum, *et luctum* (1). Ergo etc.

Prop. III.

Misericordia in Deo est.

Voluntas subveniendi alienae miseriae, misericordia proprie dicitur, sed benignissimam hanc voluntatem in Deo esse quam saepissime significant sacrae litterae; nam Apostolus Deum appellat divitem in Misericordia (2), et ad Corinthios secundo scribens (3), eum vocat Patrem Misericordiarum; quod Dei attributum maxime eluxit in Incarnatione divini Verbi, atque in crudelissima Christi morte.

Scholion

Ei, qui misericors est duo communiter adscribuntur, et auxiliari alienis aerumnis, et earum misereri: primum recte Deo attribuitur, non item alterum, cum omnis omnino sit passionis expers.

§. VIII.

De Bonitate, ac Sanctitate Dei.

Prop. I.

Deus essentialiter Bonus est.

Prob. Christus Dominus uni Deo bonitatem convenire testatur, inquiens, *nemo bonus*, *nisi solus Deus* (4), quia nimirum unus Deus a seipso absolutissimam habet perfectionem, et ex quo omnis bonitatis ratio in creaturas redit: praeclare D. Augustinus (5) *omnia bo-*

(1) *Cap.* 18.
(2) *Ad Ephesios Cap.* 2.
(3) *Cap.* 1.
(4) *Lucae Cap.* 18.
(5) *Serm.* 29.

na a Deo bona, non a se, qui fecit haec, super omnia est bonus, quia nullus eum fecit bonus, sed a seipso bonus est; confitemini ergo Domino, quoniam bonus est.

COROLLARIA

I. Cum itaque Deus sit infinite bonus, ac seipsum perfectissime cognoscat, ut infra ostendemus, sequitur eum essentiali, ac perfectissima frui beatitate; quandoquidem beatitudo aliud non est *nisi status omnium bonorum aggregatione perfectus* (1). Hinc Apostolus ad Timotheum scribens disertis verbis *Deum* vocat *Beatum* (2).

II. Ex infinita Dei bonitate dimanat ejus infinita sanctitas, quam Christus Deo asserit, cum nos ad sanctitatis studium incendens, inquit, *estote ergo vos perfecti; sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (3): *et* homines Sancti erunt, si comunicaverint divinae sanctitati, quae infinita, et perfectissima in se est.

III. Non solum Deus ut pote in se absolutissimus est prima ac summa veritas, ut Scriptura testatur (4) his verbis, *Deus veritas est*; sed etiam, ut infinite bonus, summe verax est, ut apud Joan. cap. 3 legimus *Deus verax est*: nihil sane cum divina sanctitate, ac bonitate magis pugnat, quam mendacium, quare Deus nec falli, nec fallere potest.

SCHOLION

Quamvis a perfecta Dei cognitione, ut supra diximus, nos quam longissime absumus; ea tamen, quae hactenus de praecipuis Dei attributis tradidimus ut pote ex purissimis revelationis fontibus hausta Deo prorsus convenire certi sumus.

---

(1) *Boetius de Consol. Phil.*
(2) *I. ad Timoth. Cap.* 6.
(3) *Matth. Cap.* 5.
(4) *Deuter. Cap.* 32.

§. VIII.

De Visibilitate Dei.

Q. QUotuplex est Dei visio?

R. Duplex distinguitur: altera enim dicitur *abstractiva*, cum nimirum res per aliud noscitur, sic Deum modo per creaturas cognoscimus: altera vero *intuitiva* appellatur, cum res conspicitur qualis in se est, sic amicus praesentem amicum cernit: quare illa obscura, et confusa; haec vero distincta, et clara cognitio est.

P r o p. I.

Justi aliquando Deum visuri sunt.

HAnc propositionem orthodoxa fides tradit; nam Christus aperte eos appellat beatos, qui mundo sunt corde, *quoniam ipsi Deum videbunt* (1). Hinc Augustinus (2) ait, *si quaeris, utrum* (Deus) *sicut est, possit aliquando videri? Respondeo filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Igi. ·· justi aliquando Deum intuitive visuri sunt.

S c h o l i o n

Expositum modo Catholicum dogma non pugnat cum doctrina Apostoli testantis Deum esse invisibilem (3); Augustinus enim (4) rem componit his verbis, *si quaeris quomodo* (Deus) *dictus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo invisibilem esse natura: videri autem cum vult, sicut vult.* Rursus constans est Patrum doctrina Deum invisibilem esse oculis corporeis; *non enim*

---

(1) *Matth. Cap.* 5.
(2) *Epist.* 112.
(3) *I. ad Timoth. Cap.* 1.
(4) *Epist.* 112.

Corporalibus, *sed Spiritualibus oculis Deus videtur*, ita D. Ambrosius, et praeclare quidem, *cum in carnis oculos cadere nequeat*, *quod corporis expers est*, ut ratiocinatur Cyrillus Hierosolimitanus Catachesi 9.

PROP. II.

Sine lumine gloriae nemo potest intuitive Deum cernere.

HUjus superni luminis necessitatem praeter quam quod ostendunt aperta Scripturarum oracula, ut in Psalmis (1): *apud te est fons vitae*, *et in lumine tuo videbimus lumen*; itemque in Apocalypsi (2), ubi Joannes docet Sanctos in Coelis non egere *lumine lucernae*, *neque lumine solis*, *quoniam Dominus Deus illuminabit illos*; demonstrat quoque idem dogma Concilii Viennensis definitio contra Beguardos, et Beguinas effutientes *animam non indigere lumine gloriae ad Deum videndum*, *et eo beate fruendum*.

SCHOLION

Licet mens creata lumine gloriae suffulta Deum intueri possit, ipsum tamen *comprehendere* nulla ratione potest, ut Patres docent, ac imprimis D. Chrysostomus (3) contra Anomaeos inquiens; *Dei exquisitam comprehensionem habere non potest Angelus aut ulla creatura*; et quidem comprehensio ea esse dicitur, qua objectum ita cognoscitur, ut nihil ejus omnino lateat: cum autem Deus infinitus natura sit, et contra mens creata finibus circumscripta, sequitur nullo pacto Deum comprehendi posse.

---

(1) *Psal*. 35.
(2) *Cap*. 22.
(3) *Homil*. 4.

P r o p. III.

Animae justorum, quibus nihil expiandum superest statim a morte ad intuitivam Dei visionem admittuntur.

HAnc fidei veritatem prodidit Apostolus (1) cum docuit justos statim ac *peregrinantur a corpore*, idest emoriuntur, jam non ambulare *per fidem* ut prius, sed per *speciem*, idest visione Dei intuitiva donari; hinc ipse huiusce veritatis studio incensus, magnopere cupiebat dissolvi, ut citius cum Christo beatitudine frueretur (2). Unanimis hac in re extat Patrum traditio, cui accedunt Conciliorum Lugdunensis, ac Florentini definitiones: et sane PP. Generalis Synodi Lugdunensis (3) praefatum dogma sic definiere: *Credimus illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus vel iisdem exutae, sunt purgatae, mox in coelum recipi*: ac postea rei explicandae caussa Florentina synodus addidit, *et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum sicuti*. est Ergo etc.

C o r o l l a r i u m.

Concidit ergo millenariorum opinio, qui Sanctos post generalem corporum resurrectionem, antequam in coelum reciperentur, regnaturos esse cum Christo mille annos commenti sunt. Regnum namque Christi nec in terris situm est, ut ipse testatur *regnum meum non est de hoc mundo* (4): nec ullo temporis spatio definitum, ut alibi legimus, et *regni ejus non erit finis* (5).

(1) *II. ad Corinth. Cap.* 5.
(2) *Ad Philipp. Cap. I.*
(3) *An.* 1274.
(4) *Joan. Cap.* 18.
(5) *Luc. Cap. I.*

P r o p. IV.

Justorum Animae pro varietate meritorum diversum gloriae gradum adipiscuntur in coelis ; sic contra Jovinianos.

HÆc est sacrarum Litterarum doctrina ; id enim Christus nos edocuit (1), inquiens, *in domo Patris mei mansiones multae sunt* ; quibus Evangelii verbis respondet illud Apostoli : *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem* ; ad rem D. Augustinus praeter ceteros Ecclesiae Patres, ait, *multae mansiones, diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates* (2). Quocirca Tridentina Synodus definiit, (3) pro bonis justorum operibus, et meritis a Deo reddi coronam gloriae. Ergo etc.

S c h o l i o n.

Itaque Beati in coelesti patria Deum videbunt ut est in se : nimirum fruentur Dei essentia, ejusque attributis tum absolutis, tum relativis ; (ut mox clarius explanabitur) in coelis enim aperietur, quod modo fide credimus, et manifestabitur in specie, quod nunc videmus per *speculum, et in aenigmate*, ita in hanc rem D. Augustinus (4) *hic creditis, ibi videbitis* : Quare Justi ibi cernent divinam essentiam. ac tres in ea subsistentes personas, id est Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, atque omnes ejusdem Divinitatis perfectiones, Scientiam, Omnipotentiam, Immensitatem etc. cum ab ipsa divinitate re non distinguantur. Praeterea in Verbo tanquam in speculo conspicient universam creaturam, cum *in eo sint omnium etiam, quae temporaliter*

(1) *Joan. Cap. XIV.*
(2) *Tract.* 67. *in Joan.*
(3) *Sess.* 6. *Cap.* 16.
(4) *Lib.* 20. *de Civ. Dei.*

facta sunt, *aeternae rationes* : ita D. Augustinus (1).

§. IX.

De Scientia Dei.

Propositio I.

In Deo infinita est Scientia.

HAnc Dei perfectionem passim sacrae Litterae praedicant, sic illud Psalmi (2), *et sapientiae ejus non est numerus*: et apud Apostolum pervulgatissima illa extat sententia (3). *O Altitudo divitiarum sapientiae*, *et scientiae Dei* : et certe in mirabili simplicitate naturae divinae, *non est aliud sapere*, *aliud esse*, *sed quod est sapere*, *hoc est et esse*; adeoque sicut Dei natura infinita est, ita et ejus Scientia.

Corollaria

Tria hinc consequuntur. I. Scientiam in Deo, non esse *in potentia*, ut accidit in nobis, qui ab intelligendi potestate ad ipsum intelligentiae actum gradum facimus, sed semper esse in *actu*, cum Deus sit actus purissimus.

II. Dei scientiam esse caussam rerum, cum e contrario nostra scientia a rebus ipsis cognitis ortum sumat, *univesas creaturas suas*, inquit D. Augustinus (4) *et spirituales*, *et corporales non quia sunt ideo novit*, *sed ideo sunt*, *quia novit.*

III. Deum unico intuitu omnia cernere, non vero unum post aliud, ut nobis evenit, qui finita intelligen-

---

(1) *Lib.* 4. *de Genes. ad liter. Cap.* 24.
(2) *Psal.* 146.
(3) *Ad Rom. Cap.* 11.
(4) *Lib.* 15. *de Trinit. Cap.* 13.

tia praediti sumus; *simul omnia videt*, *quorum nullum est*, *quod non semper videt* (1).

Prop. II.

Primum objectum divinae scientiae est ipse Deus, secundarium sunt res omnes creatae.

Quoniam divina scientia est perfectissima, attingere debet objectum perfectissimum, jamvero unus Deus est hujusmodi; Deus igitur ut in se est, objectum esse debet circa quod perfectissimo modo versatur divina scientia, juxta illud Apostoli (2) *nemo novit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei.*

Secundarium objectum divinae scientiae sunt creaturae, unde Apostolus sic ad Hebr. (3) scribens affimat: *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.* Igitur ex Scripturarum oraculis exploratissima res est ad omnia prorsus et singula creata vel minutissima, et abjectissima, divinam scientiam se se extendere.

Corollaria

Ex hactenus ostensis plura colliguntur consectaria; et I. sequitur Deum peccata cognoscere, cum nosse debeat ea, quae fieri permittit, ut inquit D. Augustinus (4), quamobrem David testatur, delicta sua a Deo non esse abscondita (5). Haec porro cognoscit Deus in ipsa voluntate hominis, cum hic deflectit a rectitudine, cujus privatio peccatum est; ut tradit D. Thomas (6).

II. Sua scientia intima nostri cordis pervadere, ut

(1) *Aug. eodem Lib. Cap.* 14.
(2) *I. ad Corinth. Cap.* 2.
(3) *Cap.* 4.
(4) *Enchirid. Cap.* 27:
(5) *Psal.* 68.
(6) *I. part. Quaest.* 14. *art.* 10.

expresse docet Scriptura, *Deus novit abscondita cordis* (1).

III. Omnia possibilia attingere: praecipit enim Scriptura Deum omnia nosse, quae non dum existunt, cujusmodi sunt possibilia, ita D. Paulus (2): *Vocat* (Deus) *ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.*

IV. Omnia futura libera, idest, quae ex hominum libertate pendent, certissime nosse; et sane apud Danielem (3) legimus, *Deus aeterne. . . qui nosti omnia antequam fiant.* Ad haec omnia prorsus vaticinia sacris litteris commendata, quorum veritatem confirmavit eventus, totidem sunt divinae praescientiae illustria argumenta; *praescientia enim Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas*, ajebat Tertullianus (4) Quare concludebat D. Augustinus *confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum, apertissima insania est* (5).

Q. Cum praescientia Dei falli nequeat, quomodo ipsa componi poterit cum hominis libertate?

R. Deus praevidet liberas hominum actiones, ut libere extituras, adeoque ita perpetrandas, ut nobis semper adfutura sit potestas non agendi: ita respondet ipse Augustinus (6): *non per ejus praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus praescientia non fallitur, affuturam mihi esse praescivit.* Hinc liquet nullam homini operanti a Deo necessitatem imponi: sicut enim, qui praesentia contemplatur, vel praeterita respicit, nullam certe iis affert necessitatem; ita Deus in aeternitate uno simplicissimo actu contuens praesentia, et praeterita perinde, atque futura, his profecto, ut et illis nullam necessitatem imponit. Si igitur accurate loqui velimus, nihil Deo futurum est, nil proinde mirum, si quidam SS. Patres nullam Deo

(1) *Psal.* 43.
(2) *Ad Rom. Cap.* 4.
(3) *Cap.* 13.
(4). *Lib.* 2. *Contra Marcionem Cap.* 5.
(5) *Lib.* 5. *de Civ. Dei Cap.* 9.
(6) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. Cap.* 3.

praescientiam tribuant, sed solum scientiam, Cetera, quae de Dei scientia quaeri possunt, Scholasticis libenter discutienda relinquimus.

§. X.

De Voluntate Dei.

Q. QUotuplex distinguitur a Theologis Dei voluntas?

R. Licet Deus uno, ac simplicissimo actu velit quidquid vult; multiplex tamen in eo distinguitur voluntas, ut facilius ea, quae hac de re Scriptura docet, explicentur. Nos vero omissis aliis distinctionibus, unam illam ob oculos ponemus, quae instituto nostro accomodatior esse videtur. Itaque Dei voluntas alia dicitur *Beneplaciti*, et alia *Signi*: Illa est actus, quo Deus vere, *absolute*, et *efficaciter* decernit, ut aliquid fiat, vel non fiat, cujusmodi est voluntas creandi mundi; haec vero est res aliqua, vel actio, quae cum in nobis soleat esse signum voluntatis, in Deo etiam dicitur voluntas, sed metaphorice: ex qua definitione patet, Deum non semper revera velle, quod vult voluntate signi; sic quamvis Abrahamo praeceperit, ut filium suum Isaacum immolaret, hanc tamen immolationem haud revera fieri voluit, sed potius Abrahami fidem, atque obedientiam demonstrari, ac sacrificium promissi Reparatoris praesignificari voluit. Signa porro, quae divinam de re aliqua voluntatem produnt, quinque vulgo enumerantur; *praeceptum*, *consilium*, *prohibitio*, *permissio*, *operatio*; si quis enim aliquid praecipit, consulit etc. illud quantum in seipso est ut fiat, velle existimatur, licet non semper impleatur, ut nuper animad vertimus.

P r o p. I.

Voluntas divina rerum omnium causa est.

ID nobis abunde innotescit ex manifestis Scripturarum oraculis: sic in Apocalypsi (1) legimus, *Tu creasti omnia*,

(1) *Cap.* 4.

et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt: quam fidei veritatem testatur Apostolus (1), inquiens, *operatur* (Deus) *omnia secundum consilium voluntatis suae*. Ergo etc.

PROP. II.

Divina Voluntas Beneplaciti est efficacissima, idest suum semper consequitur effectum.

CUilibet pervolutanti sacras litteras luculentissima haec se se offert nostrae Religionis veritas; sic enim ipse testatur Deus (2): *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*; et in Psalmis (3). *Omnia quaecumque voluit, fecit*: *quod utique non est verum*, subdit D. Augustinus (4), *si aliqua voluit, et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit*; et paucis interjectis, pergit, inquiens, *neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturae, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus*. Ergo etc.

PROP. III.

Primarium objectum divinae Voluntatis est ipse Deus, secundarium vero sunt res Creatae.

NAm unus Deus est infinite bonus, ad quem tanquam ad finem cetera referuntur, *universa* enim, *propter semetipsum operatus est Dominus* (5). Quocirca Deus vult res omnes creatas, volendo bonitatem suam, non secus atque intelligit res creatas, intelligendo essentiam

(1) *Ad Ephes. Cap.* 1.
(2) *Isaiae Cap.* 46.
(3) *Psal.* 113.
(4) *In Enchirid. Cap.* 95.
(5) *Proverb. Cap.* 16.

suam. Praeterea creaturae sunt objectum secundarium divinae voluntatis, quia aliquam in se continent boni rationem, quod vel ipsa Scriptura confirmatur. *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (1). Ergo etc.

Prop. IV.

Deus vult salutem omnium hominum.

ID conceptis verbis tradit D. Paulus (2) *Deus vult omnes homines salvos fieri*; et alibi ipsemet Deus inquit, *nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat* (3). Haec fidei veritas testatissima est in sacris litteris, ac Patrum traditione, adeoque nihil est quod in ea comprobanda diutius immoremur. Audiatur tamen prae ceteris S. Ignatius Martyr, qui hac de re, sic eloquitur, *Hominum amans est Deus noster, et omnes homines vult salvos fieri* (4). Ergo etc.

Scholion

Ut autem intelligatur qui fiat, ut Deus velit omnium salutem, licet non omnes salutem adipiscantur; audiatur D. Augustinus qui triplici sensu praefatum Apostoli testimonium de salute omnium hominum accipi posse censuit. I. Deum velle omnium salutem, *quia nullus fit salvus, nisi Deo volente, quemadmodum dicitur, quod magister omnes pueros litteras docet, non quod omnes omnino doceat, sed quia ab illo uno magistro docentur, quotquot litteris operam impendunt* (5). II. Deum velle omnes homines salvos fieri, quod ex omni ho-

---

(1) *Genes. Cap. I.*

(2) *I. ad Timoth. Cap.* 2.

(3) *Ezechiel. Cap.* 33.

(4) *Epist. ad Philadelph.*

(5) *D. Augustinus Epist. ad Vitalem. Prosper Epist. ad Rufinum Cap.* 13. *S. Fulgentius Lib. de Incarn. et Grat. Cap.* 29.

minum genere, conditione, sexu, aetate, quosdam ad salutem seligat (1). III. Dicitur Deus velle salutem omnium, quia facit, ut id velimus, *recte etiam dicit Scriptura volentem Deum*, a quo efficitur ut velimus (2). Verum non est heic praetermittenda explicatio, quam tradit D. Thomas in laudatam Apostoli sententiam, inquiens, Deum velle salutem omnium voluntate *antecedente*, *quia salus omnium hominum in se considerata habet rationem*, *ut sit volibilis*, et hoc modo Deus vult *antecedenter* omnes homines salvos fieri; *consequenter* vero inspecta sua justitia, et altissimis suae providentiae finibus, non vult efficaciter salvare, nisi eos, qui revera salvantur. Si qua demum alia interpretatio a Theologis proferatur, accipi poterit, *dum tamen credere non cogamur aliquid Omnipotentem Deum voluisse fieri*, *factumque non esse*, *qui . . . . . profecto facere noluit*, *quodcumque non fecit*, ita D. Augustinus (3).

C o r o l l a r i u m

Cum igitur omnibus adsint subsidia, quibus ad salutem perduci possint, sui pravitatem accusent, qui a veritate longe abeuntes, gloriam non consequuntur aeternam; *quod multi pereunt*, *pereuntium est meritum*, sic ad rem D. Prosper in respons. ad secundam object. Vincent.

§. XI.

De Providentia Dei.

Q. Quid nomine divinae providentiae intelligitur? *R*. Intelligitur actus divinae mentis, qui res universas regit, moderatur, et ad praestitutum finem dirigit.

---

(1) *D. Augustinus in Enchir. Cap.* 103. *S. Fulg. Lib. de nat. et gratia Cap.* 29.
(2) *Lib. de Corrept. et gratia Cap.* 15.
(3) *In Enchirid. Cap.* 103.

Prop. I.

Deus est summe Providus.

Nam, Scriptura teste, Deus res quoque abjectissimas curat: *non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus*, haec in libro Sapientiae (1) occurrunt: eamdem Dei curam paginae novi testamenti ad passeres, et hominis capillos extendunt, *nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt* (2). Ergo etc.

Prop. II.

Quaelibet Creatura libera subest divinae Providentiae.

Docet enim Scriptura Deum moderari, ac dirigere liberos actus hominis, *Domini est dirigere gressus hominis* (3), et paullo post, haec alia sese offerunt apertissima verba, *cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud* (4). Ergo etc.

Prop. III.

Etiam peccata divinae providentiae subjiciuntur.

Siquidem ea dirigit Deus ad certum finem, *vitiorum non est auctor Deus, sed ordinator* (5) ut monet D. Augustinus, tum quia ad manifestandam suam gloriam

(1) *Cap.* 12.
(2) *Matth. Cap.* 10.
(3) *Proverb. Cap.* 16.
(4) *Ibidem Cap.* 21.
(5) *D. Augustinus Lib. de Genes. ad Litter. Cap.* 5.

peccatis utitur, quemadmodum ipse Deus Pharaoni declaravit (1) *posui te . . . ut narretur nomen meum in omni terra*, tum quia vel in ipsorum peccantium, vel in aliorum utilitatem peccata refert, ut Joseph fratres suos commonuit (2) Ergo etc.

Scholion

Nemo miretur, si sub recta Dei providentia plerumque hac in vita justi malis afficiantur; ita enim se gerit Deus I. ut eos cautiores, humilioresque efficiat II. ut ab hujus mundi dilectione absterreat, et *meliorem appetant patriam* (3) III. ut levia ipsorum peccata, quae in altera vita acrius punirentur, hic mitius expiantur.

§. XII.

De Praedestinatione.

Q. Quid est praedestinatio?

R. Est efficax Dei decretum, quo Deus ab aeterno statuit quosdam homines per certa gratiae auxilia ad salutem conducere. Hinc ab Augustino definitur (4) *Praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*: quibus verbis S. Pater significavit praedestinationem, non esse sterilem praescientiam salutis nonnullorum, sed firmum decretum, quo decernuntur beneficia electis conferenda, quibus ipsi certissime ad aeternam salutem perducuntur.

Quaerunt Theologi num praedestinatio sit ante, vel post praevisa merita: pro more alii ajunt, alii negant: utra sententia sit amplectenda, hic exponere nobis mens non est. Nulla enim hac in re Ecclesiae definitio adhuc

(1) *Exod. Cap.* 9.
(2) *Genes. Cap.* 50.
(3) *Ad Hebr. Cap.* 11.
(4) *Lib. de dono persev. Cap.* 14.

intercessit, adeoque fide incolumi, alterutra sententia propugnari potest. Nobis vero tantummodo propositum est Ecclesiae dogmata, et fidei articulos enucleare; ne igitur instituti nostri fines praetergrediamur, hanc quaestionem ad scholasticam theologiam amandamus.

Verum si quid hac in quaestione mihi certo pronunciare conceditur, illud est, praedestinationem scilicet ad gloriam mysterium esse inextricabile, cujus nulla praeter voluntatem Dei afferri potest ratio, ut liquet ex Apostolo sic exclamante *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus* (1), quibus D. Pauli verbis inhaerens Augustinus ajebat (2): *Cur autem istum potius, quam illum liberet* (Deus), *inscrutabilia sunt judicia ejus.* Quapropter illa Theologorum opinio hac in re seligenda mihi videtur, quae in exponendo Praedestinationis mysterio ad inscrutabilia confugit Dei judicia, juxta Apostoli doctrinam, et Augustini mentem, qui in Libro praesertim de Praedest. SS. affirmare solebat, contra gratuitam praedestinationem neminem, nisi errando, potuisse disputare: hujusmodi porro ea est, quam proponit Benedictus XIII. in Constitutione edita 1727, in qua docet sententiam de gratia per se efficaci, et praedestinatione gratuita summis Pontificibus, Conciliorum decretis, ac Patrum dictis consonam esse. At his omissis, nobis dumtaxat opus est manifesta fidei dogmata contra Heterodoxos in apertum ferre; sit igitur

Prop. I.

Praedestinatio ratione sui certa est, et immutabilis: ita contra Semipelagianos.

Hanc veritatem conceptis verbis in Evangelio tradidit Christus (3) *oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et vitam aeternam do eis, et non*

(1) *Ad Rom. Cap.* 11.
(2) *Lib. de Praedest. SS. Cap.* 8.
(3) *Joan. Cap.* 10.

peribunt in aeternum, *et non rapiet eas quisquam de manu mea*: hic nomine ovium, veniunt electi ad vitam aeternam, ut cuique patet; jamvero si electorum praedestinatio certa, et immutabilis non esset, idest si minui posset electorum numerus (ut somniabant Semipelagiani) (1), certe eorum nonnulli vita aeterna fraudari, in aeternum perire, e manibus Christi rapi possent, quod profecto cum Evangelii verbis pugnat. Ergo etc. Quare D. Augustinus *Horum* (electorum), inquit, *si quisquam perit*, *fallitur Deus*, *sed nemo eorum perit*, *quia non fallitur Deus*: consonat D. Augustino Patrum traditio.

PROP. II.

Nemo sine speciali Dei revelatione, absolutam habet certitudinem de sua praedestinatione: sic contra Calvinistas.

ID asserit Scriptura his verbis, *nescit homo utrum amore*, *an odio dignus sit et haec omnia in futurum reservantur incerta* (2). Ergo certus esse nequit homo de perseverantia usque in finem, ac de sua praedestinatione: ad rem D. Bernardus, *quis potest dicere ego de electis sum*, *ego de numero filiorum*, *reclamante scriptura*, *nescit homo si dignus sit amore*, *an odio* (3): Omitto D. Augustinum, aliosque Patres, quorum constanti Traditioni inhaerens Tridentina Synodus, rem ita definiit, *nemo*, *quamdiu in hac mortaliter vivitur*, *de arcano divinae praedestinationis mysterio*, *usque adeo praesumere debet*, *ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum* (4).

(1) *Ita SS. Prosper*, *et Hilarius ad D. Augustinum.*
(2) *Eccles. Cap.* 9.
(3) *Serm.* 1. *in Septuagesimam.*
(4) *Sess.* 6. *Cap.* 12.

Scholion

Idcirco nobis incerta est divina praedestinatio, quod haec ex investigabili Dei decreto proficiscitur: nobis vero christianae pietati fovendae maximo incumbendum est opere, ut certam nostram vocationem, et electionem faciamus.

De Praedestinationis effectibus.

Prop. III.

Praecipui effectus praedestinationis sunt Vocatio Justificatio, et Glorificatio.

Ad hos maxime revocat Apostolus ceteros praedestinationis effectus, inquiens, *quos praedestinavit hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit* (1); ad vocationem porro referuntur omnia Dei auxilia, omnesque pii motus, qui justificationem antevertunt; ad justificationem vero reliqua supernaturalia subsidia, quae sequuntur justificationem usque ad finem vitae.

Prop. IV.

Omnia bona, sive mala naturalis ordinis, ex divina ordinatione sunt effectus praedestinationis.

Iis namque utitur Deus, ut electos suos ad gloriam perducat: et re sane vera de variis hujus vitae casibus sermonem habens D. Paullus (2), inquit, *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*; hinc sequens colligitur propositio.

---

(1) *Ad Rom. Cap.* 8.
(2) *Ad Rom. Cap.* 8.

PROP. V.

Ipsa peccati permissio, Deo sic providente, praedestinationis effectus est.

Quandoquidem ex Dei consilio peccatum permittitur, ut illud cedat in utilitatem, ac salutem electorum, nimirum ut qui in errorem labuntur electi cautiores, humiliores, ac ferventiores resipiscant; haec Patrum doctrina est, quam ceteris luculentius docuit S. Basilius his verbis: *Id scire operae pretium est, contingere saepe piorum delicta, divina providentia ita dispensante, ad eorum utilitatem* (1), Ergo etc.

§. XIII.

De Reprobatione.

Q. Quid, et quotuplex est Reprobatio?

R. Licet unus, ac simplicissimus sit actus, quo Deus sua voluntate reprobat impios: juxta tamen nostrum concipiendi modum duplex distinguitur reprobatio: altera *negativa*, quae est mera non electio ad Regnum coeleste: altera *positiva*, qua reprobis statuitur poena ipsorum peccatis debita.

PROP. I.

Deus neminem positive reprobat, idest ad poenam aeternam destinat ex solo beneplacito, et ante quodlibet peccatum praevisum. Ita contra impium Calvini dogma (1).

Pob. Aperta hac de re sunt Scripturarum oracula; in libro enim Sapientiae (2) sic legitur: *diligis omnia,*

---

(1) *In regulis brevioribus interrogat.* 81.

(1) *Calvinus Lib.* 3. *Instit. Cap* 23. *docet homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in aeternam mortem praedestinari.*

(2) *Cap.* 11.

quae sunt, *et nihil odisti eorum*, *quae fecisti* : rursus, *Deus non laetatur in perditione vivorum*, atqui si reprobatio *positiva* locum haberet citra proprium meritum, Deus sane non diligeret, sed odisset hominem, ac laetaretur in perditione vivorum. Igitur etc. Quare inquit D. Augustinus (1). *Bonus est Deus*, *justus est Deus*; *potest aliquos sine bonis meritis liberare*, *quia bonus est* : *non potest quemquam sine malis meritis damnare*, *quia justus est*. Hanc fidei veritatem pernegantes, anathemate perculit Ecclesia ; ut videre licet in Arausicana II. Synodo, cujus haec sunt verba : *aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse*, *non solum non credimus*, *sed etiam si sunt*, *qui tantum malum credere velint*, *cum omni detestatione illis anathema dicimus*. His demum accedit definitio Concilii Tridentini (2). *Si quis dixerit*, *reliquos omnes*, *qui vocantur*, *vocari quidem*, *sed gratiam non accipere*, *utpote divina potestate praedestinatos ad malum*; *anathema sit*.

Scholion

Licet praefata Ecclesiae definitio negativam reprobationem non attingat; magis tamen, et Scripturae, et Patrum dictis consona videtur sententia eorum, qui docent neminem a Deo reprobari etiam *negative* citra praevisum peccatum : siquidem in divinis litteris reprobi, licet negative tantum sint tales, appellantur *vasa irae* (3) ; jamvero *notum est*, inquit S. Fulgentius (4) *iram Dei non posse dici*, *nisi ubi creditur hominis iniquitas praecessisse*; hujusmodi porro iniquitas, quam supponit negativa reprobatio est originale peccatum, ut tradit D. Augustinus (5). *Merito videretur injustum*,

(1) *Lib.* 3. *contra Julianum Cap.* 18.
(2) *Sess.* 6. *Can.* 17.
(3) *Ad Rom. Cap.* 9.
(4) *Lib.* 1. *ad Monimum Cap.* 26.
(5) *Epist.* 157. *ad Optatum.*

quod fiant vasa irae ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata.

P r o p. II.

Effectus Reprobationis positivae est aeterna poena tum damni, tum sensus.

Etenim Sacrae Litterae expresse affirmant reprobos abituros in ignem aeternum, *qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus* (1): ac D. Augustinus (2) duas esse clamat hominum societates, quarum una est praedestinata ad Regnum Coelorum, altera cum Diabolo ad aeternum supplicium. Quocirca PP. Concilii Valentini III., cui praefuit S. Remigius Lugdunensis, *fidenter*, aiunt, *fatemur praedestinationem electorum ad vitam*, (quae in Dei visione potissimum sita est) *et praedestinationem impiorum ad mortem*, quae praesertim posita est in privatione divinae visionis.

DE DEO TRINO.

Augustissimum Trinitatis Mysterium in eo positum est, ut una natura divina in tribus personis a se invicem distinctis subsistat: *Catholica fides*, inquit S. Leo Magnus (3), *Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credit aequales, quia unitatem in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia.* Cum autem hoc altissimum mysterium scrutari temeritas sit, ut advertit D. Bernardus, cum humana ratio sibi relicta, nec ullam tanti mysterii ideam habeat, nec aliquod illius vestigium, quod omnino simile sit, in rebus creatis reperiat (4); idcirco ea, quae ad Dei Trini cogni-

(1) *Marth. Cap.* 25.
(2) *Lib.* 15. *De Civ. Dei.*
(3) *Epist.* 93.
(4) *Lib.* 5. *de Consider. Cap.* 8.

tionem spectant, una Fidei, ac Dei revelantis auctoritate freti, persequemur, ac rem totam in quinque capita dispescemus: in primo de Trinitatis existentia, in altero de Processionibus divinis: in tertio de Personarum divinarum circuminsessione, et missione: in quinto denique de variis personarum nominibus quam brevissime disseremus.

CAP. I.

De existentia SS. Trinitatis.

PROP. I.

Scriptura veteris testamenti indicat distinctionem personarum in divinis: ita contra Judaeos.

Prob. IN Psalmis expressa occurrunt nomina Patris, et Filii (1) *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; hoc testimonio usus est Apostolus ad Hebraeos scribens, ut Christi divinitatem ostenderet; item Christus ipse ad suam comprobandam divinitatem (2), illa adhibuit psalmi (3) verba. *Dixit Dominus Domino meo*, ea quidem ratione, *ut nemo potuerit respondere ei.* Ad haec; totum Trinitatis mysterium non obscure significatur in Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra: Verbo Domini Coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; in quem locum ita scribit D. Augustinus enarr. 3. *Verbum certe Dei Filius est, et Spiritus oris ejus Spiritus Sanctus est . . . . . . Trinitas ergo haec unus Deus.* Ergo etc.

(1) *Psal.* 2.
(2) *Matth. Cap.* 22.
(3) 109.

Corollarium

Itaque Trinitatis mysterium non fuit Judaeis penitus ignotum: nam licet rudis Hebraeorum populus implicitam illius fidem habuerit (1); *ab aliis tamen, qui ceteris antecellerent, cujusmodi Prophetae, atque eximia sanctitate praediti homines fuerunt, Trinitas semper in illa singulari divinitate nunciata, et credita ab illis est* (2).

Prop. II.

Scriptura novi foederis perspicue docet Trinitatem personarum in Deo: ita contra Sabellianos.

Prob. ILlustre argumentum, quo PP. omnes usi sunt ad explodendam haeresim Sabellianorum, qui tres in Deo personas inficiabantur, heic afferemus, depromptum ex illo Matthaei (3) testimonio; in quo forma baptismatis a Christo instituta legitur his verbis: *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hic tres personae aperte distinguuntur, quarum una, eademque est virtus, ac proinde natura, ut patet ex eo, quod dixit Christus *in nomine*, non vero *in nominibus.* Huc spectat luculentissimum testimonium Trinitatis, quod nobis exhibet baptismatis Christi Historia: quam Evangelistae referunt (4); ibi enim tres distinctae commemorantur personae, Pater quidem, et Filius in ea voce de Coelo dicta, *Hic est Filius meus dilectus*: item Spiritus Sanctus, *qui descendit corporali specie sicut columba in ipsum* (Christum): Ergo etc. A ceteris innumeris novi testamenti locis hic afferendis abtinemus, ne ultra instituti nostri fines progrediamur.

---

(1) *D. Thomas* 2. 2. *Q.* 2. *art.* 8.
(2) *S. Epiphanius in Lib. de Haeres.*
(3) *Cap.* 28.
(4) *Matth. Cap.* 3. *Marc. Cap.* 1. *Luc.* 22.

Scholion

Apertissima est in Ecclesia hujus dogmatis vetustissima traditio; etenim ab ipsis Ecclesiae incunabulis, qui Trinitatis hostes extitere, omnibus fidelibus execrationi fuerunt, et ab Ecclesia ejecti. Et sane contra Praxeam cum Ecclesia Tertullianus insurrexit: contra Noethum S. Hypolitus Martyr: contra Sabellium impudentiorem Trinitatis hostem, S. Dionysius Alexandrinus, et alter Dionysius Rom. Pontifex: ac demum contra Paulum Samosatenum duo Concilia Antiochena (1) coacta sunt; atque haec monumenta ostendendae hac in re Ecclesiae traditioni satis sunt. Quamobrem Irenaeus aiebat, *Ecclesia per universum orbem, usque ad fines terrae seminata . . . . accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem Omnipotentem . . . . et in unum Jesum Christum Filium Dei . . . . et in Spiritum Sanctum* (2): ac propterea *Fides Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur* (3).

§. I.

De unitate naturae in Trinitate personarum.

Qui unam in Deo personam effingunt, accusant Catholicos, quod tres in divinis personas agnoscentes, Deorum pluralitatem inducant; hinc contra *Unitarios* sequens dogma adstruimus.

Propositio I.

Una numero est in tribus divinis personis essentia.

Prob. Plura praesto sunt in novo foedere testimonia, quibus expresse significatur una numero essensia in di-

(1) *Quorum alterum an. 264. alterum an. 269. habitum est.*
(2) *Lib. de Haeres. Cap.* 10.
(3) *Ex Symb. Athanas.*

vinis personis; ita Christus (1) eloquitur, *quaecumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia* (Spiritus Sanctus) *de meo accipiet*: hic itaque Filius docet se eandem cum Patre, et Spiritu Sancto essentiam habere. Quare D. Bernardus (2) ajebat, *cum tres illae personae illa substantia sint, et illa una substantia tres personae; quis numerum neget? nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? nam vere unum sunt.* Jure igitur Ecclesia in Synod. Lateran. (3) credendum, ac profitendum nobis proponit, *quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis: quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.* Ex his aperte colligitur Filium, et Spiritum Sanctum vere esse Deum, cum eandem numero Patris naturam habeant.

PROP. II.

Verbi divinitatem Scriptura, et Traditio docet luculentissime: sic contra Arianos.

Prob. UT brevitati semper consulamus, unum aut alterum hac de re argumentum attingemus; prolixiores enim in hoc genere probationes reperire licet apud Theologos Polemicos. Itaque D. Joannes suum Evangelium ita exorditur, ut nobis apertissimum praebeat Verbi divinitatis argumentum; inquit enim: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Verbum igitur diserte appellatur *Deus*, cui quoque asseritur aeternitas illis verbis, *in principio erat*, idest ante omnia, sicut ipse Deus alias aeternitatem suam expressit, ut apud Isaiam, *ab initio ego ipse* (4). Hoc argumento imprimis usus est D. Augustinus, ut Arianorum perfidiam retunderet. Praeterea infinita prope-

(1) *Joan. Cap.* 16.
(2) *Lib.* 5. *de Consid. Cap.* 1.
(3) *Cap.* 2.
(4) *Cap.* 43.

modum testimonia extant in novo testamento, quae praefatum dogma veluti praecipuum nostrae religionis fundamentum stabiliunt: ibi enim Verbum seu Filius Dei expresse dicitur, *super omnia Deus, benedictus in saecula* (1), non secus atque ipse aeternus Pater designatur: *unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes* (2); Rursus Verbum ab ipso Evangelista Joanne (3) praedicatur, *Filius Dei, verus Deus, et vita aeterna*, atque item *Unigenitus qui est in sinu Patris* (4), et qui cum Patre unum idemque est (5); quocirca nil mirum si PP. trium priorum saeculorum constanti traditione praedicaverint, *Verbum divinum, verum sine controversia Deum esse* (6), cui traditioni inhaerens Nicaena Synodus generalis an. 325. cui interfuerunt 318. Episcopi, unanimi consensione definivit credendum esse *in unum Deum Patrem Omnipotentem, omnium visibilium, et invisibilium Creatorem, et in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre Unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*, et qui contrarium senserint, *hos anathemate ferit Catholica, et Apostolica Ecclesia* Ergo etc. (7).

SCHOLION

Licet ex Patribus, qui ante Concilium Nicaenum scripserunt, vix ullum reperire liceat, qui loquens de *Verbo*, Dei nomine non insignierit, vel ipsi proprietates uni divinitati proprias, non tribuerit: si quid tamen ipsis minus castigatum exciderit, illud in beni-

(1) *Ad Rom. Cap.* 9.
(2) *Ad Ephes. Cap.* 4.
(3) *I. Epist. Cap.* 3.
(4) *Joan. ibidem*
(5) *Joan. Cap.* 10.
(6) *S. Clemens Alex. exhort. ad Gentes.*
(7) *Collect. Hard. tom.* 1., *et Labb. tom.* 2.

guiorem partem, ut accipiatur, aequitas ipsa postulat: nam veteres de Mysterio Trinitatis agentes nonnullis utebantur vocibus, quae modo abludunt a communi loquendi consuetudine, atque ideas longe alias sibi habent adnexas. Porro nemo omnium ignorat eos, qui ante exortas haereses de fidei nostrae dogmatibus disseruerunt, non ita semper accurate fuisse locutos; quippe *securi loquebantur, quia nullus aderat hostis*, ut advertit D. Augustinus.

Prop. III.

Spiritus Sanctus tertia Trinitatis persona Deus est, sic contra Macedonianos.

Prob. Spiritus Sanctus in Scripturis locutus dicitur per Prophetas: *Spiritu Sancto inspirati*, inquit, S. Petrus, (1) *locuti sunt Sancti Dei homines*; jamvero Apostolus ad Hebreos scribens, testatur Deum olim locutum esse in prophetis, *olim Deus loquens Patribus in Prophetis* (2). Igitur Spiritus Sanctus Deus est; id confirmatur ex actis Apostolorum, ubi D. Petrus sic Ananiam objurgat; *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*? ac statim docet quisnam sit Spiritus Sanctus, subjungens, *non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ergo *divina eloquia docent confiteri oportere Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum*, ita rem conficit S. Basilius (3). His accedit communis, et vetustissima Ecclesiae traditio ac fides, cujus testis locupletissimus est ille glorificationis hymnus: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.*, cujus usum ab ipso nostrae religionis exordio invaluisse probat S. Basilius, (4) innumeris in medium allatis antiquiorum Patrum testimoniis. Hoc fidei nostrae Caput, ita definivit

(1) *II. Petri Cap.* 1.
(2) *Ad Hebr. Cap.* 1.
(3) *Epist.* 8.
(4) *De Spiritu S. Cap.* 29.

Concilium OEcumenicum Constantinopolitanum I., *Credimus et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem . . . . cum Patre, et Filio adorandum, et glorificandum*: hujus definitionis sensum apertius explicavit S. Damasus Papa in Epistola Synodica, quam ad Patres misit ejusdem Concilii, inquiens, *si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere, ac proprie sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit.* Igitur certo credendum est Spiritum Sanctum esse tertiam Trinitatis personam per se subsistentem.

S c h o l i o n

Nihil est, quod nos moveat, si Constantinopolitani Praesules in praefata definitione Spiritum Sanctum expresse Deum non declaraverint; nam praeterquamquod verba ab ipsis Nycaeno Symbolo addita clarius exprimunt Spiritus Sancti divinitatem, ejusdem tamen Concilii mentem planius significatam legimus in illius Epistola Synodica ad Damasum, in qua Patres se credere profitentur *unam Deitatem, et potentiam, ac substantiam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; aequalem item dignitatem, et coeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis.*

CAPUT II.

De Processionibus divinis.

Q. QUid, et quotuplex est processio?

R. Processio est *origo unius ex alio*: duplex illa distinguitur, altera *ad extra*, qua effectus extra causam, unde procedit, est positus, ut in humanis filius est extra patrem; altera dicitur *ad intra*, qua res producta intra suum principium manet, ita cogitatio intra mentem, unde procedit, manet. Rursus alia est *perfecta*, qua unum ab alio ita procedit, ut ab eo nec pendeat, nec distinctam etiam numero naturam habeat,

ita Verbum divinum a Patre procedere fides docet: si secus fiat processio, haec erit *imperfecta*, ita in humanis filius naturam habet numero distinctam a Patre, quare filius, et pater duo sunt homines: contra in divinis, quia Pater, et Filius eandem numero naturam habent, sunt unus Deus.

Prop. I.

Fides Catholica tenet admittendas esse in Deo processiones.

Nam Christus de seipso dicit (1): *Ego ex Deo processi*; ac de Spiritu Sancto legimus (2), *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Hanc veritatem praecise a Scripturis definitam, credendam proposuit tum Conc. Nicaenum I. cum statuit Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine*, tum vero Constantinopolitanum I. cum pronunciavit Spiritum Sanctum *ex Patre procedere*. Ergo etc.

Scholion

Cave putes unam personam altera priorem esse ratione temporis, quasi una ante aliam extiterit, cum ex Scriptura exploratum sit quamlibet personam utpote Deum, aeternam esse. Una tamen persona altera posterior est ratione originis, quia sacrae litterae Filio, et Spiritui Sancto ita aeternitatem tribuunt, ut simul doceant illas personas a Patre tanquam a principio procedere; quod certe secum non pugnare, hac hypothesi posset aliquantulum suaderi; si enim sol poneretur aeternus, lumen emissum ipsi coaevum esset, et tamen ab ipso sole tanquam a principio profunderetur, adeoque ratione originis, non vero temporis esset sole posterius.

---

(1) *Jonn. Cap.* 8.
(2) *Ibid. Cap.* 15.

Prop. II.

Duo sunt in Deo processiones.

Quia in Deo non plures admittendae sunt processiones, quam sunt personae procedentes; jam vero ex ostensis duae sunt in divinis personae procedentes, Filius nimirum ac Spiritus Sanctus: Pater enim utpote fons divinitatis a nullo procedit, ut Catholica docet fides, quam Ecclesia profitetur his verbis (1) *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius a Patre solo est . . . . . . Spiritus Sanctus a Patre, et Filio etc.* Ergo etc.

Scholion

Divinae processiones I. sunt aeternae; Pater enim ab aeterno seipsum cognoscendo generat Verbum, inquit enim Augustinus (2) *Verbum natum est de Patris essentia, ac si dicerem de Patris scientia.* Pater, et Filius ab aeterno se se amando producunt Spiritum Sanctum, qui propterea in Scripturis appellatur amor, caritas, dilectio, ut notat Augustinus (3) II. sunt necessariae, quia Pater necessario seipsum cognoscit: rursus Pater, et filius necessario se se diligunt; at processiones in Deo licet sint necessariae, placent tamen divinis personis, nec fiunt ab invitis; hinc Concilium Sirmiense apud Hilarium, statuit: *Si quis dixerit, nolente Patre, natum Dei filium, anathema sit.* III. demum processiones sunt non accidentium, sed personarum, quae eamdem numero cum illa persona, a qua procedunt, naturam habent.

---

(1) *In Symbolo, quod vulgo dicitur Athanas.*
(2) *Lib.* 15. *de Trinit. Cap.* 13.
(3) *Ibidem Cap.* 17.

Prop. III.

Processio Verbi est vera generatio, non vero processio Spiritus Sancti.

VErbum divinum a Patre procedens, modo dicitur Filius Dei, et modo genitus a Patre; sic Apostolus (1), ut aeternam Verbi generationem stabiliret utitur illo Psalmi (2) *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et alibi aeternus Pater de coelo intonuit, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (3). Igitur Verbi processio est vera generatio.

Cum vero Scriptura pluribus in locis doceat unicum esse in Deo Filium, juxta illud Joannis (4) *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, sequitur processionem Spiritus S. dici non posse generationem; siquidem si hujusmodi esset, non unicus in Deo Filius, sed duo filii proprie dicti existerent. Ergo Spiritus Sancti processio, non generatio, sed simplex processio vocari debet.

Q. Quid ergo interest inter processionem Spiritus Sancti et Verbi generationem?

R. Cum D. Augustino (5), qui ad rem sic loquitur, *distinguere inter illam generationem, et hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio*; ac proinde tantum Dei secretum, ut apprime inquit praeclarissimus Bossuetius (6), beatis in Coelesti Patria Deo fruentibus aperiendum relinquitur.

(1) *Ad Hebr. Cap.* 1.
(2) *Psal.* 2.
(3) *Matth. Cap.* 3.
(4) *Cap.* 1.
(5) *Lib.* 2. *contra Maximin. Cap.* 14.
(6) *Elev. sur. les Mysteres, secunde serm.* 5. *Elev.*

Prop. IV.

Spiritus Sanctus non solum a Patre, sed etiam a Filio procedit; ita contra Graecos Schismaticos.

Hanc fidei veritatem aperte prodidit novi foederis Scriptura, in qua Spiritus Sanctus expresse dicitur Spiritus Filii, ita Apostolus (1), *misit Deus Spiritum Filii sui corda vestra*: quod Pauli testimonium adhibuit D. Augustinus ad comprobandum hunc fidei articulum, inquiens, *Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus* (2)? Ergo sicut dicitur Spiritus Patris, quia a Patre procedit, ita dicitur Spiritus Filii, quia procedit a Filio. Hoc fidei dogma praeter Lateranense IV., et Lugdunense II. definivit Florentinum Concilium his verbis: *Definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, et suscipiatur, quod Spiritur S. ex Patre, et Filio aeternaliter est . . . . et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio procedit* (3), quam definitionem omnes quoque Graeci exceperuut, praeter unum Marcum Ephesinum.

Corollarium.

Ex his sequitur Spiritum Sanctum a Patre, et Filio tanquam ab uno principio procedere, quia in Patre, et Filio una, et eadem numero est et indivisa virtus producendi Spiritum Sanctum; quare inquiunt PP. Concil. Lugdunensis II. an. 1724. *Damnamus, et reprobamus omnes, qui temerario ausu asserunt, quod Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio, tamquam ex duobus principiis, non tamquam ab uno procedat* (4), ac

(1) *Ad Galat. Cap.* 4.
(2) *Tract.* 99. *in Joan.*
(3) *Tom.* 13. *Concil.*
(4) *Tom.* 11. *Concil.*

propterea *fatendum est*, ait Augustinus, *Patrem, et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia* (1).

II. Colligitur quoque particulam *Filioque* merito adjectam fuisse Symbolo Constantinopolitano: ut in sua definitione declaravit Concil. Florent., *Definimus*, ajunt illius Patres, *explicationem illorum verborum* FILIOQUE *veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam*.

CAP. III.

De Personarum divinarum Circuminsessione, et Missione.

Q. Quid est Circuminsessio?

R. Hac voce intelligitur ea proprietas, qua una persona divina in alia intime, ac mutuo inhabitat.

Prop. I.

In Personis divinis admittenda est Circuminsessio.

Christus enim diserte asserit se esse in Patre, et Patrem in illo; nam sic interrogans Apostolos, inquit (2), *non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et sane, qui eandem numero, ac individuam naturam habent, ii in se invicem existunt, et ubi est unus, ibi sit alter necesse est: sed divinas personas eandem numero naturam habere jam ostendimus; Ergo in se mutuo existunt.

Q. Quomodo definitur Missio?

R. Definitur processio unius personae ab alia, habens

(1) *Lib. 5. de Trinit. Cap. 14.*
(2) *Joan. Cap. 14. et Cap. 17.*

adjunctum aliquem effectum temporalem, (1) ita D. Thomas.

Explicatur definitio. Missio est quaedam progressio personae missae a persona mittente; una autem persona in divinis non exit ab alia, nisi per processionem ad intra, non vero per transmissionem ab uno in alium locum, cum quaelibet persona utpote Deus, sit immensa, seu ubique praesens; atque ob hanc rationem persona, quae mittitur, novo quodam modo dicitur fieri praesens in locis, ad quae mittitur, id est, ratione novi cujusdam effectus, quem ibi operatur; ita Verbum divinum fuit nobis praesens novo quodam modo per Incarnationem: item Spiritus Sanctus in anima justi, novo quodam modo fit praesens per gratiam sanctificantem, quam infundit.

Prop. II.

Datur in divinis missio Personarum.

Asseritur enim manifestissime in Scripturis missio Filii, et Spiritus Sancti: sic docet Christus ipse, *sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem* (2): et alibi; *cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre* (3). Ergo etc. Praeterea diligenter animadvertendum est in Scripturis Patrem numquam dici missum, non aliam ob rationem, nisi quia Pater a nulla persona procedit, ut accurate monuit D. Augustinus his verbis: *solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat* (4).

---

(1) *I. Part. Quaest.* 43. *art.* 2.
(2) *Joan. Cap.* 6.
(3) *Ibidem Cap.* 15.
(4) *Lib. contra Serm: Arianorum Cap.* 4.

CAP. IV.

De Divinis Relationibus.

Q. QUid est Relatio ?

R. Est ordo, sive respectus unius ad aliud, talis ordo intercedit inter Patrem, et Filium.

PROP. I.

Existunt in Deo relationes, et quidem reales.

NAm existunt in Deo tres personae distinctae idest Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, jam vero hae tres personae totidem exprimunt relationes : siquidem Pater necessario dicit respectum ad Filium, et vicissim Filius ad Patrem, nec concipi potest Pater sine Filio, nec Filius sine Patre : item Spiritus Sanctus necessario refertur ad principium, a quo procedit, et veluti spiratur. Igitur tam certum est relationes reipsa existere in divinis, quam certum est tres esse distinctas in una essentia personas. Hac in re prae oculis habeatur illud Concilii Toletani XI. *In relativis personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrumque refertur, quae cum relativae tres personae dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.*

COROLLARIUM

Hinc cum Personae in divinis non distinguantur per attributa absoluta, quae omnibus sunt communia, juxta illud theologicum axioma : *in Deo Omnia sunt unum, et idem, ubi nulla est oppositio relativa* ; sequitur eas distingui, ut diximus, per relationes, quae si negarentur in divinis, tolleretur etiam personarum distinctio, sicque totum Trinitatis mysterium corrueret.

Prop. II.

Quatuor in Deo sunt relationes; idest, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva.

Explicatur propositio. Quatuor in Deo sunt respectus unius personae ad aliam; nam Pater respectum habet ad Filium, quem gignit: Filius ad Patrem, a quo gignitur: Spiritus Sanctus ad Patrem, et Filium, a quibus procedit, et veluti spiratur: item Pater, et Filius ad Spiritum Sanctum, quem per modum unius principii producunt, et veluti spirant. Ergo etc.

Prop. III.

Relationes in Deo non distinguuntur realiter ab essentia divina.

Hic praestat in memoriam revocare, quae edisseruimus agentes de divinis attributis; juvat tamen sibi ob oculos ponere definitionem editam a Concilio Rhemensi his verbis conceptam: *Credimus nullas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates sive unitates dicantur, adesse Deo, quae sint ab eterno, et non sint Deus*: relationes igitur in Deo, sunt ipse Deus. Quod vero relationes non distinguuntur realiter ab essentia, id non impedit, quominus plures sint relationes, et una tantum essentia; quia cum relationes non opponantur essentiae, possunt omnes in una essentia existere: contra vero cum relationes sibi invicem tantum opponantur, inter se realiter distinguuntur.

Corollaria.

I. Quia singulae personae habent essentiam divinam, cum qua relationes omnes sunt unum, et idem a parte rei, sequitur *tantum esse solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum Sanctum, quantum tres*

personae simul sumtae, ita monet D. Augustinus (1).

II. Sequitur esse inter personas divinas perfectissimam aequalitatem, etiamsi in qualibet earum non habeatur eadem relatio; quia haec quidem est perfectio, sed eadem penitus cum natura; quare nulla caret perfectione relationis persona aliqua, cum nulla sit persona, quae non sit essentia eadem inseparabilis.

Scholion

Omnis imperfectio a divinis relationibus omnino removenda est; quoniam ex illis nulla existit mutua personarum dependentia, cum una persona sit dumtaxat principium, et origo alterius, non vero causa.

CAP. V.

De Variis personarum divinarum nominibus.

DUplex nominis genus, cum de personis divinis sermo instituitur, accurate distinguendum est: aliud nomen *proprium*, quod uni personae ita convenit, ut alteri convenire nequeat: aliud *appropriatum*, quod licet toti Trinitati commune sit, uni tamen personae ob specialem aliquam rationem tribuitur.

§. I.

Exponuntur nomina Primae Personae Trinitatis.

PRima Trinitatis persona nomine *proprio* I. Appellatur Pater respectu Filii, quem gignit. II. *Ingenitus*, quia a nulla alia persona originem habet. III. *Principium, et Fons Divinitatis*, quia ipsa a nulla, reliquae

(1) *Lib.* 6. *de Trinit. Cap.* 8.

vero personae ab ipsa communicatam habent divinitatem. Nomine autem *appropriato* dicitur *Pater noster*, et *Creator omnium*, qui licet, quae in tempore condit Deus, opus sit commune toti Trinitati; ratio tamen primi principii respectu creaturarum, illi personae congruenter attribuitur, quae dicitur in Trinitate *principium*.

§. II.

Explanantur nomina Secundae Personae Trinitatis.

SEcunda persona Trinitatis nomine *proprio*, modo vocatur *Filius*, modo *Verbum*, ut Joannes (1) disserens de Filio Dei, inquit: *vocatur nomen eius Verbum Dei*; ut ad aliquam vero divini Verbi notitiam deducamur, internam humanae mentis operationem contemplari juvat; cum enim ipsa aliquid intelligit, rei intellectae notionem in se ipsa cudit, quam intimum animae verbum appellamus: eodem ferme modo Pater intelligendo seipsum ab aeterno gignit Verbum; ac quemadmodum mentis nostrae verbum, quo seipsam intelligit, ejusdem imago est; ita verbum, quo Deus seipsum perfectissime comprehendit, ipsius est imago substantialis, adeoque perfectissima: quare ab Apostolo Filius Dei jure dicitur *imago Dei invisibilis*, *splendor Patris*, *et figura Substantiae ejus* (2). Eadem porro persona nomine *appropriato* dicitur *Sapientia*, qua voce licet exprimatur attributam tribus personis commune, speciali tamen ratione propterea Filio adscribitur, quod is a Patre procedit per intellectum, ad quem spectat sapientia, ut norunt omnes.

§. III.

Proferuntur nomina Tertiae Personae Trinitatis.

HÆc Trinitatis persona nomine *proprio* vocatur *Spiritus Sanctus*, *Donum Dei*, *et Amor*. Et I. Licet Pa-

(1) *Apocalypseos Cap.* 19.
(2) *Ad Coloss. Cap.* 1. *et ad Hebr. Cap. I.*

ter, et Filius ambo sint Spiritus, et quidem Sancti, peculiari tamen ratione vox illa tribuitur tertiae Personae, ut apud Matthaeum, (1) *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Cujus rei ratio haec potissimum affertur a Theologis (2), quod vox *Spiritus* motum quemdam, ac impulsum significat, ut Sacra Scriptura ventum saepe *spiritum* appellat (3); jamvero processio Spiritus Sancti fit per amorem, cujus est voluntatem in rem amatam impellere. Igitur tertia persona congruenter dicitur *Spiritus*. II. Vocatur *Donum Dei*, sic in actis Apostolorum (4), Spiritum S. appellat D. Petrus arguens Simonem Magum, *existimasti donum Dei pecunia possideri.* Amor namque primum donum est, immo cujuslibet doni principium; sed tertia persona amor est Patris, et Filii, cum ab utroque per amorem procedat, merito itaque *Donum Dei proprie* nuncupatur III. Appellatur *Amor*, *Caritas*; quia procedit ex Patre, et Filio tanquam utriusque amor subsistens; hinc a Patribus dici consuevit Patris, et Filii *unio*, *amplexus*, *nexus*. Omnia tandem divinae caritatis, bonitatis, et misericordiae opera *per appropriationem* adjudicantur tertiae personae; quid enim convenientius excogitari potest., quam caritatis effectus illi personae attribuere, quae ex perfectissima caritate procedit, atque absolutissimus est Patris, Filiique amor?

APPENDIX

De regulis, quae accurate servandae sunt in explicando Trinitatis Mysterio.

Prima regula. Voces illae, quae Dei substantiam, et essentiam exprimunt, non possunt de Deo praedicari in

(1) *Cap.* 28.
(2) *Ita D. Thom. Lib.* 4. *contra Gentes. Cap.* 19. 20. e 21.
(3) *Act. Cap.* 2.
(4) *Cap.* 8.

plurali numero, quia substantiae divinae multiplicitatem enunciarent; quocirca a fide catholica longissime absunt hae propositiones, idest, *Pater*, *Filius*, et *Spiritus Sanctus sunt tres Dii*, *tres Creatores*, *tres Domini* etc. E contrario ea nomina, quae divinas respiciunt personas, de Deo in plurali numero proferri possunt, quia non substantiam, sed personas multiplicant; qua de re in Symbolo *Quicumque* rite scriptum legimus, *totae tres personae coeternae sibi sunt*, *et coequales*.

COROLLARIUM.

Hinc I. Una in Deo existentia, non tres existentiae; tres contra subsistentiae, non una. II. Una in Deo infinitas, una aeternitas, non tres infinitates, aeternitates etc. III. Accurate dici potest *alius* Pater, *alius* Filius etc., non vero *aliud* Pater, *aliud* Filius; quoniam vox *alius* personam, *aliud* naturam denotat. IV. Denique si Deus appellaretur *solus* cum aliquo additamento, ut e. gr. Deus solus est aeternus, Omnipotens etc. haec loquendi ratio apprime responderet catholicae fidei; secus si *solus* nominaretur sine adjuncto, tunc sane personarum Trinitas penitus everteretur, hac de causa S. Hilarius (1), Deum vetat dici *singularem*, vel *unicum*.

Secunda regula Si nomen Dei ita sumatur, ut designetur persona, tunc recte dici potest, *Deus Deum genuit*, quemadmodum Nicaeni Patres in Symbolo Filium Dei vocarunt *Deum de Deo*, *Deum verum de Deo vero*. Si contra ita accipiatur, ut denotetur essentia; tunc praefata propositio haeresim enunciat, cum fides doceat Essentiam nec gignere, nec gigni, ut in Concilio Lateranensi IV. definitum occurrit his verbis: *Essentia non est generans*, *neque genita*, *neque procedens*, *sed est Pater*, *qui generat*, *Filius*, *qui gignitur*, *Spiritus Sanctus*, *qui procedit*.

Tertia regula. Deus recte dicitur *Trinus*, quia hoc nomen exhibet numerum ternarium personarum: impie

(1) *Lib. 7. de Trinit.*

vero diceretur *triplex*, cum vox isthaec designaret proportionem inaequalitatis, ut praeclare monet D. Augustinus (1), cum inquit: *nec quoniam Trinitas est* (Deus), *ideo triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius*; ac propterea *Trinitas* de Deo, non *triplicitas* praedicari potest.

PARS ALTERA

DE DEO CREATORE.

UNiversa, quae condidit Deus in duas veluti classes dispescuntur, idest in substantias incorporeas, quas inter eminent Angeli, et corporeas, quae terrae, coelique ambitu concluduntur. Hinc primo de Mundi creatione, deinde de Angelis, tertio denique de Homine, quae scitu magis necessaria sunt breviter attingemus.

CAPUT I.

De Mundi Creatione.

PROPOSITIO.

Deum ex nihilo universum Mundum condidisse, certissimum est nostrae religionis Dogma.

NAm decretoria sunt Mosis verba (2): *In principio creavit Deus coelum, et terram*, quae spectans Machabaeorum mater, sic filium suum morti proximum adhortabatur: *Peto, nate, ut adspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas*,

(1) *Lib.* 6. *de Trinit. Cap.* 1.
(2) *Genes. Cap. I.*

quia ex nihilo fecit illa Deus (1). Hoc dogma profitemur in Symbolo his vocibus, *Credo in Deum, Creatorem coeli, et terrae*, quibus, juxta auctoritatem Concilii Constantinopolitani I., accedunt haec alia *visibilium*, et *invisibilium*. Denique ejusdem veritatis fusior habetur definitio in Concilio Lateran. IV. (2), ubi legimus *Deum esse unum, universorum principium, Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium et corporalium; qui sua Omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam.*

Corollarium

Hinc recte colligitur aliud fidei dogma, ut loquitur D. Thomas (3), mundum scilicet non fuisse ab aeterno conditum, cum Scriptura non in aeternitate, sed in tempore, sex dierum spatio, ipsum procreatum esse doceat; quod luculentius Divina Sapientia monet (4), inquiens, *Dominus possedit me in initio viarum suarum; antequam quidquam faceret a principio*; ac propterea in aeternitate nihil quidquam creatum fuit a Deo, qui mundum in principio temporis condidit. Hujusmodi dogma vel satis innuit Concilium Lateranense IV. verbis supra allatis.

Q. Qua de causa Deus coelum, et terram creavit?

R. Non alia certe fuit causa, quae Deum impulit ad opus Creationis, nisi ut bonitatem suam impertiretur creaturis; nam Dei natura absolutissima, ac per se beatissima, nullius rei indigens est, ut testatur David (5): *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

---

(1) *II. Machab. Cap.* 7.
(2) *An.* 1215. *in Cap.* Firmiter.
(3) *I. Par. Quaet.* 46. *art.* 2., *et Quaest.* 61. *art.* 2.
(4) *Proverb. Cap.* 8.
(5) *Psal.* 15.

Scholion.

Singula, quae Deus in coeli, ac terrae ambitu fabricatus est sex dierum spatio, hic non est exponendi, ac expendendi locus, cum id non patiatur brevis hujus instituti nostri ratio; quocirca adeat quisque sacram, quam hac de re Moses praebet historiam, ac fide divina certissime credat supremum Opificem Deum ex nihilo creasse Coelos, eosque Solis, Lunaeque, ac ceterorum siderum splendore ornasse, atque ut essent in signa, tempora, dies, et annos, coelorum cursum statis legibus temperasse; rursus terram, verbo suo Deum super stabilitatem suam fundasse, eamque non solum arboribus, omnique herbarum, et florum varietate vestivisse, sed etiam innumeris animantium generibus, sicut antea aquas, et aera, complevisse.

CAPUT II.

De Angelis.

Delibata rerum visibilium creatione, doctrinae ordo postulat, ut de rerum invisibilium productione brevi agamus. Praetermissis itaque quaestionibus vel incertis, vel inutilibus, quae hoc in genere jactantur, ea tantum, ut nobis mos est, proponemus, quae scriptura, ac traditione facile definiuntur.

Q. Quid sunt Angeli?

R. Licet *Angelorum vocabulum*, *nomen sit officii*, *non naturae* (1), ut inquit D. Gregorius, cum vox *Angelus* graeca sit, quae latine redditur *Missus*; Angeli tamen hic intelliguntur « substantiae per se completae, subsistentes, intellectu ac voluntate praeditae, praestantiores homine, ac Deo inferiores.

(1) *Homil.* 34. *in Evang.*

Prop. I.

Angelos existere Catholica docet fides.

Et quidem frequentissima est Angelorum mentio in veteri testamento, ut illius, qui apparuit Agar in Deserto (1), alterius, qui Abraham impedivit, quominus filium suum Isaac immolaret (2): item duorum Angelorum, qui Loth eripuerunt ex incendio Sodomae (3): ex quibus sic argumentatur D. Augustinus. (4) *Quamvis non videamus apparitiones Angelorum . . . tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Hoc demum fidei dogma exhibuit Concil. Lateran. IV. his verbis *Deum . . . utramque de nihilo condidisse Creaturam . . . Angelicam videlicet, et Mundanam.* Ergo etc.

Scholion

Cum quaeritur de tempore, quo Angeli fuerint conditi, ea videtur existimanda responsio scripturae sensui, ac Patrum dictis accomodatior, quae docet Angelos simul cum ceteris rebus corporeis fuisse creatos: haec tamen sententia ad fidem non pertinet, notat D. Thomas, inquiens, *quamvis contrarium, non sit reputandum erroneum.* (5)

Prop. II.

Angeli sunt omnis materiae prorsus expertes.

Siquidem haec de Angelis habet Apostolus (6): *Ad Angelos quidem dicit, qui facit Angelos suos Spiritus..*

(1) *Genes. Cap.* 16. *et Cap.* 21
(2) *Ibid. Cap.* 22.
(3) *Ibid. Cap.* 19.
(4) *Serm. I. in Psal.* 103.
(5) *I. Part. Quaest.* 61. *art.* 3. *in corp.*
(6) *Ad Hebr. Cap. I.*

nonne omnes sunt administratorii Spiritus? Undique sacrarum litterarum Angeli semper appellantur Spiritus, nusquam corporei dicuntur; proinde S. Leo Papa jure scripsit: *veram fidem, quae est Catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, idest Angelorum, sive corporalium, bonam confiteri substantiam.* (1).

Scholion

Concilium Lateranense IV. proprie, ac directe non definivit Angelos esse incorporeos: hinc cuique intelligere datur praefatam propositionem non esse Fidei articulum: at cum in eo Concilio Patres uno ore Angelos Spirituales esse asseruerint, id modo sine temeritate a quoquam in dubium revocari non posse jure conficimus. (2)

Prop. III.

Omnes Angeli a Deo boni conditi sunt, atque insuper gratia sanctificante exornati.

De prima parte huius propositionis nemini addubitare fas est, inquit enim S. Leo (3): *Fides vera, quae est Catholica, omnium, Creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam*; adeoque merito in Lateranensi Synodo Manichaei, eorumque asseclae ea de causa proscripti sunt, quod effutirent, *Diabolum non prius fuisse Angelum bonum a Deo factum*; altera propositionis pars non minus certa videtur, cum Catechismus Romanus in expositione primi articuli Symboli, sic eloquatur: *perspicuum est Diabolum, reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse.* De his vel minimum dubitare non licet homini Christiano.

---

(1) *Epist. ad Thuribium Cap.* 6.
(2) *Vid. Estium in Lib.* 2. *Sentent. dist.* 8.
(3) *Epist.* 15.

Scholion.

Illud tantummodo quaeritur, num Angeli in ipsa gratia sanctificante, creati sint, an eadem post creationem exornati; prima sententia D. Augustino probatur qui haec docet, *sine bona voluntate* (quae alia certe non est a caritate) *nunquam Sanctos Angelos fuisse credendum est* (1). Verum hac de re nulla extat Ecclesiae definitio.

Prop. IV.

Quosdam ex Angelis sua culpa a Caritate descivisse testantur Sacrae Littere.

ID aperte significat S. Petrus (2) illis verbis: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*; Angeli porro, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium* (3), idest qui a veritate desciverunt, dicti sunt *Daemones* in sacris Paginis, ut notat D. Augustinus, (4) quorum princeps appellatur *Diabolus* (5), et alibi *Princeps huius mundi*, *Princeps potestatis aeris huius*, *Lucifer*, *Beelzebub*, *Satan*, *Serpens*, *Drago etc.* quibus nominibus malitia, non natura significatur.

Scholion.

Qualis fuerit eorum culpa, neque Scriptura, neque Traditio penitus definiit: ea tamen sententia magis consentanea est sacris Literis, ac Patribus, quae docet Angelorum peccatum fuisse superbiam; sic enim eorum noxam descripsit Isaias sub figura Regis Babyloniorum *Ascendam in Coelum, et ero similis Altissimo* (6): et sa-

(1) *Lib.* 12. *de Civ. Dei.*
(2) *Epist.* 2. *Cap.* 2.
(3) *Iudas in sua Epist. ver.* 6.
(4) *Lib.* 9. *de Civ. Dei Cap.* 19.
(5) *Matth. Cap.* 25.
(6) *Cap.* 14.

ne Angeli egregiis ornati dotibus in propria excellentia sibi complacuerunt, ac seipsos vehementius, quam Deum diligentes, finis ultimi rationem Creatori denegarunt, ut eam in seipsis superbe constituerent; ita rem explicat D. Augustinus. (1) Huius praeterea culpae Angeli mali, seu Daemones jam poenam patiuntur, idest orbati visione beatifica, ad quam ordinati erant, quae poena est omnium maxima, insuper ignis infernalis supplicio aeternum addicti sunt, ut ex testimonio Apostoli Judae supra allato, senior theologorum pars colligit; etenim ibi, ut observat Estius, eadem ratione sermo est de poena inflicta Daemonibus, ac de aliis, quae Sodomitis, ac Gomorrhaeis non praeparatae solum, sed revera inflictae fuerunt.

Et quoniam hic de Daemonibus sermo injectus est, praestat duo praecipua fideī dogmata adnotare.

I. Daemones, Deo permittente, hominibus insidiari, ut certo constat ex Scripturis, et Traditione; hinc illae frequentes in sacris litteris exhortationes, ut vigilemus, *quia adversarius* noster *Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quaerens, quem devoret.*

II. Ex Dei permissione aliquando fieri, ut Daemones hominum corpora obsideant: haec nostrae religionis veritas, Sacri Codicis, ac Patrum auctoritate commendatur: sat erit evangelicam historiam percurrere, in qua non pauci energumeni exhibentur a Christo liberati; utque nobis suaderet energumenos quovis tempore extituros, Discipulis suis, quin et fidelibus donum promisit abigendi Daemones a corporibus obsessis, inquiens, *in nomine meo Daemonia ejicient*, ut in Evangelio Marci (2) legere licet.

Q. Quid de bonis Angelis, qui in accepta justitia perstiterunt, credendum est?

R. Plura, quae subjectis propositionibus exponemus.

---

(1) *Lib.* 12. *de Civ. Dei Cap.* 6.
(2) *Cap* 16.

Prop. V.

Maximam esse Angelorum multitudinem in quosdam ordines distributam Sacrae Litterae, ac Patres testantur.

Scriptura eam Angelorum multitudinem notat, quae captum nostrum omnino superat, ut ex Daniele discimus, *millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*, hac loquendi ratione utitur Propheta, ut innumeros esse Angelos doceat; eorum porro novem esse ordines manifeste indicat Scriptura variis in locis (1), in quibus designantur *Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli*, et *Angeli*: id in Ecclesia semper exploratum fuit, et magna consensione veteres Ecclesiae Patres tradiderunt.

Corollarium

Ex allato Danielis testimonio conficitur Sanctos Angelos jugiter se sistere ante thronum Dei, ejusque laudes decantare.

Scholion

Etsi PP. in discriminandis Angelorum ordinibus inter se mire consentiant; quaenam tamen sint eorum diversa munia, silente Scriptura, se ignorare profitentur: audi D. Augustinum (2): *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, et Potestates in coelestibus apparatibus firmissime credo, et differre aliquid, indubitata fide teneo: sed . . . quaenam ista sint, et quid inter se differant, nescio.*

(1) *Isai. Cap.* 6. *Ezechiel. Cap.* 10. *Genes. Cap.* 3. *Ad Coloss. Cap.* 1. *ad Rom. Cap.* 8. *I. ad Thessal. Cap.* 4.
(2) *In Lib. ad Orosium Cap.* 10.

Prop. VI.

Angelos esse erga homines Dei ministros expresse testantur Sacri Codices.

QUandoquidem de Angelis, inquit Apostolus (1): *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?* Sexcentis in locis tum veteris, cum novi testamenti leguntur boni Angeli a Deo missi, piisque viris apparuisse, ut ipsi divina jussa deferrent, vel sua ope subvenirent. Inter alia vero ipsorum ministeria nihil magis in sacris litteris, ac SS. Patrum traditione repetitum, quam hominum custodia. Igitur etc.

Prop. VII.

Hominum curam Angelis a Deo demandatam esse, Dogma Fidei est Sacris Codicibus, ac Patrum libris expressum.

APertissimum hac de re habemus testimonium Davidis (2), cuius haec sunt verba, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: rursus varia in utroque testamento occurrunt exempla, ut Iosue, Tobiae, Danielis etc., quae praefatam veritatem declarant, atque confirmant: jure SS. Angeli a Patribus appellantur, *vitae nostrae spectatores, curatores generis humani, Ecclesiae inspectores; hominum praesides, custodes, paedagogi, ac morum gubernatores.* Ergo etc.

---

(1) *Ad Hebr. Cap.* I.
(2) *Psal.* 90.

Peculiaris Angelorum destinatio singulis fidelibus, ac praecipue electis, Scripturae, et Patrum testimoniis adeo firmatur, ut sine temeritatis nota negari non possit.

Innumera hujus rei exempla suppeditant Sacri Codices; nam custodem Angelum habuit Jacob (1): item Judith Angelum se custodientem memorat (2): pariter sui gubernatorem Angelum habuit Petrus in novo testamento (3). At multis hic opus non est, cum Christus ipse rem defin erit, inquiens de parvulis: *Angeli eorum in Coelis semper vident faciem Patris mei* (4), quam in sententiam sic sermocinatur D. Basilius: *Quod unicuique fidelium adsit Angelus tanquam pædagogus aliquis, et pastor vitam gubernans, nemo contradicit, qui verborum Domini meminerit dicentis, ne contemnatis unum ex his pusillis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Coelis est* (5). Igitur de propositione superius exposita Christianorum nemini licet dubitare, quamvis nulla adhuc extet Ecclesiae definitio hac de re.

COROLLARIUM.

Ex hactenus dictis illud palam fit universae Ecclesiae sensu, et communi Theologorum consensione receptum et approbatum, nempe cuilibet homini maxime Christiano divina providentia demandatum esse Angelum; idque prae ceteris luculentius affirmat D. Hieronymus, cum inquit: *Animarum unaquaeque habet ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum* (6).

(1) *Genes. Cap.* 28.
(2) *Cap.* 13.
(3) *Act. Cap.* 12.
(4) *Matth. Cap.* 18.
(5) *Lib.* 2. *contra Eunomium.*
(6) *In Cap.* 18. *Matth.*

Q. Quid. Angeli tua custodia utilitatis nobis afferunt?

R. I. Pericula ac mala a nobis prohibent ut testatur Iacob, his verbis, (1) *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* II. Impediunt, ne Daemones nobis noceant, sic ne Daemonium quid mali Tobiae moliretur, illud Angelus apprehendit, ac religavit in deserto (2) III. Opportuna nobis suggerunt consilia, quod compertum fit ex illo Mosis, cui sic praecepit Deus: *Observa eum* (Angelum) *et audi vocem ejus* (3). IV. Demum orationes nostras, et opera bona Deo offerunt, suasque preces nostris jungunt; ita Angelus Raphael se gessit erga Tobiam (4).

CAP. III.

De primi hominis Creatione, ejusque statu.

QUae bonos, malosque Angelos attingebant, jam breviter sumus persecuti; aequum est modo, ut quae spectant primum hominem, quem post alia omnia a Deo conditum esse in Scripturis legimus, eadem brevitatis ratione edisseramus.

PROP. I.

Primum hominem, ac primam mulierem fuisse Adamum, et Evam, Scriptura docet apertissime: ita contra recentiores Incredulos.

HÆc veritas adeo innotescit cuilibet primo intuitu legenti Sacram Genesim, ut mirum sit in quorumdam

(1) *Genes. Cap.* 48.
(2) *Tob. Cap.* 8.
(3) *Exod. Cap.* 13.
(4) *Tob. Cap.* 12.

mentem venisse, plurimos ante Adamum, et Evam extitisse homines, quos propterea vocarunt *Praeadamitas*; Moses enim sic scribit: *Homo non erat, qui operaretur terram . . . . formavit igitur Dominus Deus hominem . . . Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus* (1); proinde in ejus adjutorium data est Eva, quae ab ipso Mose dicta est *Mater cunctorum viventium* (2): Antehac igitur nulli erant homines.

R. Quomodo creatus fuit Adam?

R. *Formavit Deus hominem de limo terrae*; ita rem enarrat Moses, *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (3), quibus verbis edocemur, Adae corpus a Deo ex limo terrae efformatum: animam vero spiritalem, et immortalem ex nihilo divinitus eductam, sic Mosis verba explicat D. Augustinus (4).

SCHOLION.

I. Animam esse Spiritalem, idest cujuscumque concretionis corporeae expertem, praeterquamquod docet Scriptura, Patres etiam ab exordio Ecclesiae quovis saeculo testati sunt; Augustinus enim (5) Tertullianum damnat, quod animam corpoream esse effutiebat: qui secuti sunt Patres, eumdem Tertulliani errorem execrati sunt; quare qui animam incorpoream esse negaret, non quidem is haereticus, cum nulla hac de re occurrat expressa Ecclesiae definitio, sed omnino temerarius, ac prope haeresim esset. Nam in sexta Synodo definitum reperimus, Verbum divinum assumpsisse animam rationalem, atque incorpoream: at fidei dogma est, animam Christi ejusdem speciei esse, ac sunt animae

(1) *Genes. Cap.* 2.
(2) *Ibid. Cap.* 3.
(3) *Genes. Cap.* 2.
(4) *Lib.* 7. *de Genes. ad Litter. Cap.* 18.
(5) *Lib.* 2. *de Anima Cap.* 5.

humanae. Ergo etc. Ex Animae *spiritualitate* facile infertur illud nostrae fidei dogma, quo edocemur animam ex semine non propagari: huic veritati licet non adhuc accesserit Ecclesiae definitio, eam tamen tanta consensione tenent PP., ac Theologi, ut temeritatis notam certe non effugerent, qui eidem refragari auderent.

II. Animam hominis esse immortalem articulus fidei est, quem Ecclesia credendum nobis proposuit in Concil. Lateran. V. Sess. 8., cujus haec sunt verba: *Sacro approbante Concilio damnamus, et reprobamus omnes asserentes Animam intellectivam mortalem esse.* Hinc qui sciens, ac volens de Animae nostrae immortalitate vel dubius haereret, haereticis esset accensendus.

Q. Quo modo formata est Eva?

R. Ita rem hanc descripsit Moses (1): *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus . . . et aedificavit . . . . costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Corpus itaque Evae de viro eduxit Deus, non solum, ut designaret quam intima esse debeat viri, et uxoris conjunctio, sed etiam ut praefiguraret Ecclesiam, quae ex Christi alterius Adami latere in cruce dormientis, efformanda erat, quemadmodum sapienter in hanc sententiam animadvertit D. Augustinus (2).

§. I.

De statu in quo conditus fuit primus homo.

PROP. I.

Primi parentes a Creatore suo in Gratia sanctificante constituti fuerunt.

HUnc fidei articulum ita definivit Concilium Tridentinum (3): *Qui non confitetur primum hominem Adam*

(1) *Genes. Cap.* 2.
(2) *Tract.* 9. *in Ioann.*
(3) *Sess.* 5. *Can.* 1.

cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit. Ergo etc.

Scholion

Licet D. Paullus (1) innuat primum hominem conditum fuisse in ipsa gratia sanctificante, cum nos hortatur ad eam sanctitatem comparandam, in qua conditus fuit primus homo, inquiens, *induite primum hominem, qui . . . . creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*; haec tamen sententia, quam D. Augustinus amplexus est, ac saepissime suis in libris inculcavit, ad fidem Catholicam non pertinet.

Prop. II.

Protoparentes nostri in statu innocentiae praeter habitualem gratiam, etiam actualem ad perseverandum divinitus acceperunt.

Ut haec veritas confirmetur, sat erit auctoritas unius D. Augustini, quem veluti doctorem gratiae universa veneratur Ecclesia; is itaque (2) inquit. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat, et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet*; hoc in loco D. Augustinus aperte distinguit bonam voluntatem, seu originalem rectitudinem ab auxilio actuali, quod mentem Adae illustrabat, ejusque voluntatem ad bonum supernaturale in communi inclinabat; quo fiebat, ut liberum arbitrium primi hominis posset hoc, vel illud bonum specialiter eligere, et in bona voluntate permanere, si vellet.

---

(1) *Ad Ephes. Cap.* 4.
(2) *Lib. de Corrept. et Gratia cap.* 11.

§. II.

De Dotibus primi hominis Innocentis.

Prop. I.

Homo innocens non fuit per ignorantiam errori obnoxius.

DEus enim primos humani generis parentes *disciplina intellectus replevit*, atque insuper *creavit illis scientiam spiritus* (1): nulla igitur ignorantia laborabant. Adhaec *ignorantia, et infirmitas vitia sunt*, ut monet D. Augustinus (2); quodlibet autem vitium ad primaevam hominis institutionem referre, perinde est, ac in ipsius auctorem Deum rejicere, quod dictu nefas est. Merito itaque ipsemet Augustinus ajebat: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus .... non est natura instituti hominis, sed poena damnati* (3). Ergo etc.

Prop. II.

In Adamo Innocente nullus omnino fuit concupiscentiae motus.

HIc concupiscentia intelligitur non quidem appetitus dumtaxat sensitivus, sed inordinatus, et reluctans, seu impetus animi, aut sensus ad illicita trahens: de qua concupiscentia loquens S. Jacobus: (4), ait, *Unusquisque tentatur a sua concupiscentia abstractus, et illectus*; igitur dubitandum non est, quin concupiscentia sit malum, ac vitium; sed in Adamo innocente nullum malum, nullum vitium fuit; cum Scriptura testetur Deum

---

(1) *Eccles. Cap.* 17.
(2) *Lib.* 2. *de Peccat. Meritis Cap.* 17.
(3) *Lib.* 3. *de Lib. Arbitr. Cap.* 18.
(4) *Cap.* 1.

fecisse hominem rectum (1). Ergo nec concupiscentia. Rem hanc definit Tridentinum (2), cum declaravit concupiscentiam propterea ab Apostolo peccatum dici, quod *ex peccato est, et ad peccatum inclinat*: adeoque in statu innocentiae ubi peccatum non erat, nec locus concupiscentiae fuit.

Prop. III.

Homo Innocens morti non erat obnoxius.

Hoc fidei dogma expresse docet Scriptura, cum inquit, *Deus mortem non fecit* (3): ac rursus *Deus creavit hominem inexterminabilem* (4), *invidia autem Diaboli, mors introivit in Orbem terrarum*. Igitur non conditione naturali, sed invidia Diaboli homo mortalis effectus est, quod luculentius explicans Apostolus ait, *et per peccatum mors* (5); quare ante peccatum, homo non erat morti obnoxius. Jure Pelagianos anathemate perculit Plenarium totius Africae Concilium an. 418., his verbis, *Quicumque dixerit Adam primum hominem, mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit* (6). Hujusmodi definitionem confirmarunt Tridentini Praesules (7). Ergo *semper tenuit Ecclesia Catholica* (8), Adam, nisi peccasset, non fuisse moriturum.

---

(1) *Eccles. Cap.* 17.
(2) *Sess*. 4.
(3) *Sapient. Cap.* 10.
(4) *Ibidem Cap.* 2.
(5) *Ad Rom. Cap.* 5.
(6) *Tom. I. Collect. Hardui.*
(7) *Sess*. 5. *Can. I. de Pecc. Originali.*
(8) *Ita D. Augustinus Lib.* 6. *Oper. imperfect. contra Julianum cap.* 25.

Scholion

Immortalis itaque fuit primus homo, quatenus poterat non mori, non quidem conditione sui corporis, sed beneficio conditoris, ut apposite hac de re disserens D. Augustinus, ait: *Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur ligno vitae, non de institutione naturae . . . . . mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* (1)

Prop. IV.

Corpus Adami innocentis nulli prorsus miseriae fuit subjectum.

Ea est aeternae legis ratio, ut nemo miser esse possit, nisi prius mereatur, ut advertit D. Augustinus (2), his verbis: *neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.* Igitur primus homo, quamdiu fuit innocens, nullis subjiciebatur miseriis.

Corollarium

Ex his, quae hactenus persecuti sumus cuique conficere datur, nostris protoparentibus in statu innocentiae summam fuisse felicitatem, quam D. Augustinus disertissimis verbis describit, inquiens: *vivebat itaque homo in paradiso . . . . sine ulla egestate . . . . cibus aderat, ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias, ullis ejus sensibus ingerebat: nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas . . . . . gaudium perpetuabatur ex Deo, in*

---

(1) *Lib.* 6. *de Genes. ad Litt. Cap.* 25.
(2) *Lib.* 1. *Oper. Imperf. contra Julianum Cap.* 39.

quem flagrabat Caritas ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta etc. (1).

CAP. IV.

De Lapsu primorum hominum.

Felicissimus primaevae innocentiae status non diu duravit; Deus enim, ut se Dominum ostenderet, non pluribus, nec grandibus, nec difficilibus praeceptis; sed uno brevissimo, atque levissimo primum hominem ad obedientiae salutem invitavit (2), inquiens; *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas.* (3) At infelix homo, cui Daemon instrumento serpentis utens, scientiam boni, et mali promiserat, divinum illud violavit praeceptum; quo factum est, ut non solum sibi, sed toti suae posteritati incredibilem attulerit perniciem.

Prop. I.

Ambitiosa primorum parentum superbia causa fuit violati praecepti.

Siquidem primi parentes Diaboli tentationi cesserunt, ut supra conditionem suae naturae extollerentur, similesque Deo fierent, scientes bonum, et malum; quemadmodum ex Mosis narratione compertum est: ratio itaque, cur Deo praecipienti non obtemperarunt primi parentes, fuit *appetitus perversae celsitudinis*, quae alia certe non est a superbia, ut docet D. Augustinus:

(1) *Lib.* 14. *de Civ. Dei Cap.* 26.
(2) *Sic sermocinatur D. Augustinus Lib.* 14. *de Civ. Dei Cap.* 15.
(3) *Genes. Cap.* 2.

Quid est autem superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus? (1). Ergo etc.

S c h o l i o n

Primum illud peccatum *ineffabiliter grande* appellat D. Augustinus (2), tum inspecta primava integritate, qua facillimum erat tentationi obsistere, sicque praeceptum implere, quod, ut subdit ipse S. Doctor (3), *tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset observantia custodiri*; tum vero attenta terribilis poenae comminatione, quae felicissimos protoparentes facillime poterat absterrere a transgressione levissimi praecepti; haec fuse persequitur D. Augustinus in laudato Lib. de Civ. Dei.

P r o p. II.

Adam peccati sui veniam a Deo consecutus fuit.

UNiversa enim Ecclesia a suis incunabulis hac de re mire consensit, ut refert D. Augustinus (4): *De primo homine*, inquit, *quod eum Christus ex inferis solverit, tota fere Ecclesia consentit*, sicut colligitur ex illo Sapientiae (5): *Haec illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, eduxit a delicto suo*. Hinc Ecclesia a sui exordio pro haereticis habuit, qui hanc veritatem inficias iverunt, cujusmodi fuere Encratitae, et Tatiani, ut legere licet apud S. Irenaeum (6).

S c h o l i o n

Adam per fidem in Christum venturum, et congruam poenitentiam, suae noxae veniam obtinuit: primis enim

(1) *Lib.* 14. *de Civ. Dei Cap.* 13.
(2) *Lib.* 1. *Oper. Imperf. Cap.* 105.
(3) *Lib.* 14. *de Civ. Dei Cap.* 12.
(4) *Epist.* 164. *ad Evodium Cap.* 3.
(5) *Cap.* 10.
(6) *Lib.* 3. *C. Hereses Cap.* 23.

hominibus statim a peccato admisso, Deus Clementissimus semen promisit, idest Christum reparatorem, ex muliere nasciturum, quo conterendum esset serpentis caput, cujus fraude decepti, peccaverant, ut constat ex Lib. Genesis (1).

CAPUT IV.

De Peccato Originali.

CUm Ecclesia Catholica, Adae praevaricationem non sibi soli, sed et ejus propagini doceat nocuisse (2), firmiter tenenda est primi peccati transfusio in omnes homines: quandoquidem primus homo, peccando in se tamquam in radice stirpem suam vitiavit, adeo ut quidquid prolis ex eo per carnalem concupiscentiam enascitur, trahat originale peccatum, cum porro in hujus doctrinae professione *summa Christianae Religionis ejusque fundamenta consistant*, ut verbis utamur D. Augustini (3), opus est, ut pauca de peccato originali breviter perstringamus; ac I. De ejus existentia, II. De ejusdem natura, III. Denique de effectibus, disseremus.

§. I.

De Peccati originalis existentia.

PROP. I.

Existentia peccati originalis Fidei dogma est, quod Scriptura docet apertissime; sic contra Pelagianos.

ET primo quidem insigne nobis se se offert veteris Scripturae testimonium apud Jobum (4). *Quis potest fa-*

(1) *Cap* 3. *v.* 15.
(2) *Trident. Sess.* 5. *Can.* 2.
(3) *In Libris contra Julianum.*
(4) *Cap.* 14.

cere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Quisque igitur infans de immundo semine conceptus, aliqua sorde inquinatus in lucem hanc prodit: illa autem sordes, cujus meminit Jobus, corporea esse nequit, sed spiritalis, cum unus Deus eam tergere possit: ergo quisque infans, qui ob aetatem actualis noxae capax esse nequit, originali culpa infectus, Scriptura teste, enascitur. Aliud praeterea in novo testamento locupletissimum occurrit Apostoli testimonium (1): *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; jamvero peccatum illud, quod in omnes omnino pertransiit, atque morti obnoxios reddidit, aliud esse nequit, quam originale, cum infantes nulla actuali culpa obstricti, etiam imperio mortis subjaceant. Ergo etc. Quapropter de omnibus omnino hominibus loquens Apostolus (2), inquit: *eramus natura filii irae, sicut, et ceteri*: *sed quomodo natura*; subdit Augustinus (3), *nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit.*

Prop. II.

Dogma de transfusione peccati originalis confirmat Traditio.

Siquidem ubi primum Pelagius, ac Celestius hoc dogma impugnarunt, statim variis in Conciliis profligati sunt, ac praesertim in Carthaginensi an. 418. his verbis; *Quicumque parvulos recentes ab utero matrum . . . . dicit nihil ex Adamo trahere originalis peccati . . . . anathema sit* (4). Certe adeo explorata est tum Latinorum, tum Graecorum Patrum consensio in tuendo dogmate peccati originalis, ut D. Augustinus libere redarguerit

(1) *In Epistola ad Rom. Cap. 5.*
(2) *Ad Ephes. Cap. 2.*
(3) *Tract. 44. in Joann.*
(4) *Cod. Concil. Eccl. Afric. Can. 110.*

Julianum: *Non ego finxi*, inquit S. Doctor; *originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus* (1): hanc fidei doctrinam consecravit Tridentina Synodus (2), hoc canone: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse . . . anathema sit; cum contradicat Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum intravit in mundum etc.*

Corollarium

Ex Catholica doctrina superius exposita sponte fluit illud fidei dogma contra Novatores (3), idest etiam in Sanctorum filios transfundi originale peccatum, cum quae in medium allata sunt Scripturae, ac Patrum testimonia universalia sint, omnesque prorsus comprehendant Adae posteros; quapropter D. Augustinus haec habet; *Nec parvuli de quibuslibet sanctis, justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati* (4); nam eorum genitores, etsi in Christo fuerint regenerati, filios tamen gignunt *ex illa manente in eis concupiscentiae vetustate* (5). Hinc Tridentina Synodus hanc fidei edidit definitionem: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati . . . anathema sit* (6). Si praeterea quaeratur qui fieri possit, ut ex fidelibus justis, peccatum quod in eis nullum est, transeat in

---

(1) *Lib.* 2. *de Nuptiis Cap.* 12.
(2) *Sess.* 5. *Can.* 2.
(3) *Novatores nonnulli autumant filios baptizatorum ad haereditatem novi foederis pertinere, eos vero baptizari solum, ut veluti membra in Ecclesiae corpus coeant.*
(4) *Lib.* 3. *de Peccat. Meritis Cap.* 12.
(5) *Lib.* 11. *de Pecc. Meritis cap.* 27.
(6) *Sess. V. Can.* 4.

prolem; audiendus est Augustinus (1), qui ait miris id quidem modis fieri, sed tamen fieri; haec enim est mysteriorum ratio, ut eorum existentia; divina revelatione dignoscatur, modus vero, quem Deo manifestare non placuit, nos lateat.

Ab Ecclesia definitum est peccatum primi parentis in omnes ipsius posteros ita transfundi, *ut proprium unicuique insit* (2), quemadmodum post multas ab Ecclesia editas hac de re Fidei definitiones, Tridentina Synodus apertissime sanxit. At quomodo originaria noxa propagetur, nihil hactenus ab Ecclesia statutum legimus, nec certo adhuc assecuti sumus; adeoque adhaerendum huic regulae ab Augustino traditae, idest: *certa fide tenendum esse, tantum contagium propagari, licet quomodo traducetur, nunquam noverimus* (3). Illud tamen hoc loco diligenter observandum, quod et Ecclesiae, ac D. Augustini doctrinae magis consonum esse videtur, scilicet originalem noxam contrahi propagatione naturae, seu ut verbis utar ejusdem S. Doctoris, *carnali generatione*, et *contagione propagationis* (4), propterea quod, ut rem explicat Innocentius III. (5) *ex seminibus foedatis, et corruptis concipitur corpus pariter foedatum et corruptum, cui anima tandem infusa corrumpitur et foedatur*; foedatur vero corpus ideo, quia ejus propagatio peragitur seminatrice concupiscentia, ut loquitur Augustinus, qui praeterea docet eam ejusmodi esse, *ut peccati vinculum generatione in posteros trajiciat* (6); atque hinc intelligitur quare peccatum originale dicatur peccatum naturae, juxta illud Apostoli *eramus natura filii irae* (7); quia nimirum singuli homines illud con-

(1) *Lib. 1. de Nupt. et Concup. Cap.* 19.
(2) *Trident. Sess. V. Can.* 3.
(3) *In Epistola* 167.
(4) *Lib.* 6. *contra Julian. Cap.* 12.
(5) *In Psalmum. I. v.* 7.
(6) *Lib. 1. de Nupt. et Concup. Cap.* 23.
(7) *Ad Ephes. Cap.* 2.

trahunt vi generationis ex semine Adae. Quamobrem D. Augustinus post S. Ambrosium observavit, Christum a peccato originali fuisse immunem, ut profitetur Catholica fides, quod solus sine carnali concupiscentia, Spiritus Sancti virtute, conceptus sit, *quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit* (1).

Q. Num ea sententia, quae docet B. Virginem Mariam singulari Dei privilegio immunem fuisse a culpae originali, ad fidem spectet.

R. Negative: nam licet jam dictae sententiae maximam vim attulerint Patres Concilii Basileensis, qui declararunt illam *tanquam piam, et consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, rectae rationi et Scripturae, ab omnibus Catholicis adprobandam, tenendam, et amplectendam* (2): haec tamen loco definitionis habenda non sunt; quoniam Pius V. (3) de hujusmodi argumento sic disserit; *Cum Sancta Rom. Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, de ea re huc usque non definierit, nemo absque temeritate, alterius partis sententiam damnare potest*: ac multo ante Sixtus IV, cujus statuta hac in re innovavit Tridentinum, vetuitque sub poena excommunicationis Sum. Pontifici reservatae, ne quis contrariam opinionem defendentibus, haereseos notam inureret.

§. II.

De natura peccati originalis.

Fides tradit, et ratio ipsa suadet, peccatum aliquod parvulis inhaerere, sed quale illud sit, nec ratio, nec fides docent. Ex industria itaque abstinemus inutilibus quaestionibus, quae latentem originalis peccati naturam respiciunt, ac insequentibus propositionibus ea exponemus, quae vel definita sunt ab Ecclesia, vel quae ex ejusdem definitionibus facile proficiscuntur.

---

(1) *Serm.* 152. *de Verbis Apostoli.*
(2) *In Sess.* 36.
(3) *Constit.* Supra speculam. *an.* 1570.

Peccatum originis non est habitualis concupiscentia, seu haereditaria illa naturae corruptio in omnes animae partes diffusa; ita contra Lutheranos, et Calvinistas.

PEccatum namque originale homines reddit dignos morte; jamvero id non efficit concupiscentia sive actualis sive habitualis, nisi ei consensus praebeatur: ad haec per baptisma quodvis peccatum deletur, superstite tamen manente concupiscentia. Hinc Tridentina Synodus (1), *fatetur et sentit manere in baptizatis concupiscentiam, quae cum ad Agonem relicta sit, nocere non consentientibus . . . non valet. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Igitur peccatum originale, non est ipsamet concupiscentia.

PROP. II.

Peccatum Originale non est ipsummet Adami peccatum nobis extrinsecus dumtaxat imputatum.

NAm si contra se res haberet, subverteretur dogma peccati originalis: et sane verus Catholicus agnoscere debet, non solum poenam, sed et culpam nobis cum Adamo fuisse communem; cum Synodus Tridentina (2) definiat, *peccatum illud transfusum, omnibus inesse unicuique proprium.* Ergo etc.

Q. Quo pacto Cordatiores Theologi originariae culpae naturam exponunt.

---

(1) *Sess. V. Can.* 5.
(2) *Sess. V. Can.* 3.

R. Cum D. Thoma (1), qui docet Adamum per culpam aversum fuisse a bono incommutabili, atque hinc donum justitiae originalis amisisse, ac insuper conversum esse ad bonum commutabile, adeoque inferiores vires jugum suae rationis excussisse, eidemque rebelles evasisse. Id, subdit ipse S. Doctor, etiam in nobis Adae posteris contingere, in quos prima ejus culpa transfunditur; ac propterea in nobis peccatum originale, non aliud esse videtur, quam concupiscentia cum carentia originalis justitiae. Ex quibus et illud consequitur, peccatum originale esse ipsummet peccatum Adae in nos derivatum, hoc tamen discrimine, quod in illo fuit *actuale*, cum actu propriae voluntatis admissum fuerit; in nobis vero dicitur peccatum *naturae* et *originis*, quia nobis propterea inhaeret proprie, quod naturam vitio primi parentis infectam habemus; at haec fides non aperit. Quisquis igitur sapit, illud unum affirmabit cum scripturis, ac traditione, scilicet omnes in Adamo, et cum Adamo peccasse: et si quis sciscitetur quale sit illud, quo reus evadit parvulus, qui nihil peccati propria voluntate committere valet, rem expedire juvat uno verbo, Nescio.

§. III.

De effectibus peccati Originalis.

Effectus seu poenas, quae peccatum primi Parentis subsecutae sunt, superiori paragrapho paucis percensuimus: praestat modo ea paullo fusius designare, quae hac in re communi Patrum suffragio docet Ecclesia: et primo in subjecta propositione sermo injicietur de poenis, quae ad corpus spectant: deinde, quae ad animam attinent, exponentur.

(1) *Quaest. 4. de Malo art. 2.*

PROP. I.

Mors, ac ceterae hujus vitae calamitates, quibus modo misere urgetur homo, non sunt hominis naturae consectaria, sed vere, ac proprie effectus, seu poenae peccati primi Parentis.

HAnc veritatem contra Pelagianos passim ostendit D. Augustinus (1), pluribus in medium allatis Scripturae locis, quibus mors modo dicitur *stipendium peccati* (2), modo per peccatum in mundum intrasse (3), atque insuper eandem doctrinam stabilivit Trid. Synodus (4); de reliquis vero vitae hujus aerumnis, illud S. Doctor nobis exhibet scripturae testimonium, *jugum grave supra filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae* (5), quo perstringuntur omnia calamitatum genera, quibus in praesenti premimur. Hinc in libris maxime contra Julianum S. Pater, ex dictis modo originariae noxae effectibus, pelagianam penitus profligatam esse conficiebat. Igitur, qui expositae propositioni non acquiescit, in haeresim pelagianam incidat necesse est.

PROP. II.

Adae peccato natura humana non solum expoliata est justitia originali, aliisque superanaturalibus, ac gratuitis donis, sed et insuper vulnerata, et infirmata est.

PRima pars hujus propositionis abunde innotescit ex auctoritate Concilii Tridentini edocentis Adamum, statim a transgressione divini mandati, amisisse justitiam, ac sanctitatem, in qua fuerat constitutus (6), his verbis:

---

(1) *Lib.* 4. C. *Duas Epist. Pelagian. Cap.* 4.
(2) *Ad Rom. Cap.* 6.
(3) *Ad Rom. Cap.* 5.
(4) *Sess. V. Can.* 1.
(5) *Eccles. Cap.* 40.
(6) *Sess. V. Can.* 1.

Si quis non confitetur primum hominem Cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse etc. Altera vero pars declaratur verbis Gelasii I. (1), cum inquit, peccato originis *ipsam humanam substantiam depravatam esse*, seu, ut planius rem explicat D. Thomas (2) humanam rationem affectam esse ignorantia, qua destituitur suo ordine ad verum, ac voluntatem humanam sauciatam esse malitia, qua destituitur suo ordine ad bonum; jure Concilium Arausicanum, ac novissime Tridentinum definiere: *Totum Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse* (3), et contra sentientes anathemate perculerunt. Catholica doctrina modo explanata ostendit primaevam naturae integritatem penitus fuisse amissam: et licet per Christum homines liberentur a captivitate peccati, ac Daemonis (4), remanet tamen in ipsis concupiscentia, quae etsi peccatum non sit, *ex peccato tamen est, et ad peccatum inclinat* (5), quo fit, ut nemo de perfecta sanitate gloriari possit, quemadmodum observat D. Augustinus (6).

Scholion

Patres magno consensu propositam doctrinam colligunt ex celebri parabola illius, qui descendens ab Jericho *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abjerunt semivivo relicto* (7): hac parabola a Christo designatum monent genus humanum Adami peccato, non despoliatum modo, sed et vulne-

(1) *In Epist. ad Episcop. per Picaenum.*
(2) 1. 2. *Quaest.* 85. *art.* 1.
(3) *Sess. V. Can.* 1.
(4) *Trid. Syn. Sess. VI. Cap.* 2.
(5) *Trid Sess. V. Can.* 5.
(6) *Serm.* 132.
(7) *Lucae Cap.* 10.

ratum, ac semivivum relictum: Patrum testimonia collegit D. Thomas (1).

Prop. III.

Originali peccato liberum hominis arbitrium attenuatum quidem est, non tamen extinctum: ita contra Novatores.

Prima Pars hujus propositionis ostenditur auctoritate Concilii Arausicani ab Universa Ecclesia adprobati, in cujus canone 13. legimus: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*, quibus consentit Tridentina Synodus (2) declarans peccato originali liberum arbitrium *viribus attenuatum, et inclinatum.*

Altera pars demonstratur: liberum arbitrium primo homini collatum, originali culpa non fuit extinctum: etenim in Scripturis legimus (3): *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata, et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi*; ex quibus Scripturae verbis Augustinus colligit liberum arbitrium per peccatum primi parentis non fuisse extinctum, inquiens: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium.*

Hunc fidei articulum, sic nobis credendum proposuit Trid. Synodus: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit* (4).

---

(1) *In Catena Aurea.*
(2) *Sess.* 6. *Cap.* 1.
(3) *Ecc. cap.* 15.
(4) *Sess.* 6. *Can.* 5.

Scholion

Libertas definitur ex D. Thoma (1), humanae mentis facultas ex pluribus sponte eligendi, quod sibi placet, cum ad nullum eorum per sui essentiam sit determinata: hinc, ut liberum arbitrium post culpam originalem ex Catholica doctrina asseratur incolume, oportet, ut non solum externam necessitatem, seu coactionem, sed quamvis absolutam, et internam necessitatem ab eo excludi firmiter profiteamur (*); quod constat tum ex proscripta hac Wicleffi propositione in Concilio Constantiensi: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*; tum vero maxime ex tertia Jansenii propositione jure damnata ab Innoc. X., quae sic se habet; *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Expositis poenis, quibus ex peccato originali hac in vita conflictamur: restat modo, ut brevi explicemus, quae poenae eos maneant, qui ex hac vita decedunt culpa originis inquinati.

Propositio.

Parvuli sine baptismo hac vita functi, non fruuntur beatitudine naturali: sic contra Pelagianos.

HÆc propositio expresse definita occurrit in Concilio Carthaginensi (2) celebrato an. 418., his verbis: *Si quis dicit ideo dixisse Dominum, in domo Patris*

(1) 1. 2. *Quaest.* 9. *art.* 9.

(*) Libertas electionis duplex distinguitur: altera *contradictionis*, qua mens propositum sibi objectum eligere potest, aut non eligere; altera *specificationis*, qua mens inter plura proposita objecta potest, quod sibi libuerit, eligere: verum illa, haud quidem haec ad essentiam pertinet libertatis.

(2) *Can.* 3.

mei mansiones multae sunt, *ut intelligatur*, *quia in Regno Coelorum erit aliquis locus medius*, *ubi beate vivant parvuli*, *qui sine baptismo ex hac vita migrarunt* . . . *anathema sit*: hunc canonem praefati Concilii ab universa Ecclesia recepti, refert S. Augustinus, ac subdit: *Conciliorum Catholicorum*, *et Sedis Apostolicae auctoritate* justissime damnari eos, qui in contrariam abeunt sententiam: quis enim Catholicorum dixerit originali contagio commaculatos, quos Apostolus vocat *filios irae*, *et vindictae* naturali felicitate donandos?

SCHOLION

Parvulos sine baptismate decedentes intuitiva Dei visione privari, dogma Fidei est, cum Christus aperte doceat sine lavacro regenerationis nemini patere aditum ad regnum coelorum, in quo Deus intuitive cernitur; haec autem poena quam maxima est, ut monet Augustinus (1), cum ait; *Perire a Regno Dei* . . . *tam grandis est poena*, *ut ei nulla possint tormenta*, *quae novimus*, *comparari*. Quare parvuli sine baptismo mortui, maximum inde concipient animi dolorem: hinc factum est, ut Florentini Praesules declaraverint: *Illorum animas*, *qui in actuali mortali*, *vel solo originali peccato decedunt*, *mox in infernum descendere*, *poenis tamen disparibus puniendas* (2). Num vero infantes sine baptismo decedentes, in altera vita etiam poena sensus, idest igne torqueantur, nec ne, quaestio est ad fidem non spectans: si tamen daretur hisce in institutionibus mere dogmaticis, hujusmodi quaestionem dirimere, eam sententiam utpote magis consonam sacris litteris, ac traditioni proponerem, quam pluries inculcat, ac probat D. Augustinus contra Pelagianos, idest infantes illos etiam perpetua ignis poena, licet omnium mitissima, esse afficiendos: audiatur hic prae ceteris illustrior D. Augustini discipulus S. Fulgentius, qui de proposita quaestione,

(1) *Enchirid. Cap.* 112.
(2) *Sess. Ultima.*

sic disserit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites . . . parvulos, qui sine Sacramento sancti baptismatis . . . . de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio esse puniendos : quiae etsi propriae actionis nullum peccatum habuerint, originalis tamen peccati domnationem . . . . traxerunt* (1).

PARS TERTIA

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI.

CUm transgressio Adae primi Parentis totum infecerit hominum genus, *ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret de Coelo*, ut loquitur D. Augustinus (2), qui nos e durissimi tyranni servitute in libertatem vindicaret, ac pietatis suae remediis sauciatam naturam nostram renovaret (3). Hinc jam expositis, quae lapsum primi hominis spectant, ordinis ratio poscit, ut de Verbo Incarnato, seu quae de Christo humani generis Reparatore docet fides, modo ante oculos nobis ponamus. Itaque Incarnationis Mysterium explanaturi, ejusdem primo definitionem trademus, atque enucleabimus, ea mente, ut in ipso veluti rei vestibulo, uno veluti intuitu quisque breviter; atque summatim totam Mysterii, de quo hic agitur, rationem perspiciat.

Q. Quid est Incarnatio ?

R. Est conjunctio duplicis naturae, divinae scilicet, et humanae in una Verbi divini persona, ex qua unus Christus. Explicatur definitio: dicitur I. *Conjunctio duplicis naturae*, quia fides catholica tradit Christum ita coalescere natura divina, et humana, ut utramque integram, et perfectam habeat, sicut profitemur in Symbolo

(1) *Lib. de Fide ad Petrum Cap. 27.*
(2) *Serm. 14. de Tempore.*
(3) *S. Leo Serm 2. in Nativit.*

quod adscribitur S. Athanasio: *Perfectus Deus* (Christus), *perfectus homo, ex Anima rationali, et humana carne subsistens*; dicitur II. *In una Verbi divini persona*, quia juxta fidem catholicam, licet duae sint in Christo naturae, divina scilicet, et humana, in eo tamen una est persona, quemadmodum duae diversae substantiae, anima scilicet et corpus in homine, ita copulantur, ut ex iis una exurgat persona; illa vero unica in Christo persona, quae duplicem complectitur naturam, est ipsamet persona divini Verbi, quae humanitatem assumens, eam perfecit, ac complevit; cum persona Verbi utpote infinita nequaquam perfici possit: dicitur III. *Ex qua unus Christus*, quia Christus est illa persona, quae constat ex duabus naturis divina, et humana intime conjunctis.

Universam de Incarnationis mysterio tractationem in quinque capita dispescemus I. De Incarnationis existentia. II. De ejus necessitate. III. De causis. IV. De ejusdem essentia. V. Demum de illius consectariis brevissime disseremus.

CAP. I.

De Incarnationis existentia.

ILlud hoc in capite contra Judaeos, atque Gentiles demonstrandum curabimus, idest peractum jamdiu esse Incarnationis mysterium, seu jamdudum advenisse Messiam, in quo duae naturae, divina nimirum, e humana intime devinciuntur, illumque alium non esse, quam Christum Dominum: quod duplici praesertim vaticinio, Jacobi scilicet Patriarchae, atque Danielis, subjectis propositionibus, adstruemus.

Prop. I.

Ex vaticinio Jacobi constat Messiam jamdiu advenisse.

JAcob jam moriturus, haec de Juda filio suo vaticinatur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, et Dux de femo-*

re ejus, *donec veniat*, *qui mittendus est*, *et ipse erit expectatio gentium* (1): ex quo oraculo duo sunt comperta. I. Eum, qui venturus praenuntiatur, jam advenisse. II. Eumdemque, non esse alium a Messia. Et quidem ibi praedicitur Sceptrum, idest principatus civilis, cujus insigne est sceptrum, non auferendum a Juda, donec veniat, qui mittendus est: sed natio Judaeorum jamdiu amisit quamlibet regiminis formam, auctoritatem, principatum civilem, ac jurisdictionem quamcumque: igitur advenit jam, qui a Jacobo venturus praesignificatur: hic porro alius non est a Messia; nam ipse futurus dicitur *expectatio gentium*: haec autem insignis nota in unum quadrat Messiam, de quo in Scripturis passim haec praedicantur; *Omnes gentes servient ei* (2), et rursus *fluent ad eum populi* (3), item *veniet desideratus cunctis gentibus*. (4) Ergo ex Jacobi Oraculo jamdudum advenit Messias.

PROP. II.

Expositum Jacobi Vaticinium in Christo fuit impletum.

ADventus Messiae duplici facto publico praesignatur. I. Quod sub Messiae tempora, desiturum sit Judaicae nationis imperium. II. Quod, Messia duce, novum stabiliendum sit regnum ex omnibus conflatum gentibus; ut planius colligitur ex textu hebr., *et ei erit obedientia populorum.* Jamvero haec duo in uno Christo impleta sunt. Cum enim Christus in lucem hanc prodiit, jam Sceptrum e Juda fuerat ablatum, atque a Romanis traditum Herodi, *qui erat genere Idumaeus*, ut scribit Josephus (5), qui Herodis originem ignorare non potuit.

---

(1) *Genes. Cap.* 49.
(2) *Psal.* 71.
(3) *Mich. Cap.* 4.
(4) *Agg. Cap.* 2.
(5) *Lib.* 1. *de Bello Judaic. Cap.* 6.

Porro Unus Christus novum constituit in terris spiritale Regnum, Ecclesiam scilicet variis orbis terrae populis coalescentem, adeo sane, ut jure de ipso scriptum sit, et *ipse erit expectatio gentium.* Ergo cum duo maximi eventus, quibus praenuntiatur Messias, in Christo solum acceperint complementum, dicendum est Christum esse Messiam in Scripturis praesignificatum.

PROP. III.

Oraculum Danielis Messiam jam advenisse ostendit.

Sic Angelus solatur Danielem pro libertate sui populi deprecantem: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt* (idest definitae sunt, juxta vim haebraicam) *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum* (1): Characteres, quibus hic exhibetur is, qui promittitur uni conveniunt Messiae; hic enim a Daniele praesignificatus, appellatur *Sanctus Sanctorum*: in Scripturis vero Messias dicitur *Sanctus*, sic eum vocat Isaias: *Redemptor tuus sanctus Israel. . . vocabitur*(2): rursus a Daniele promittitur is, qui adducturus est justitiam sempiternam; in Psalmis autem de Messia praedicitur illud, *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis.* Ergo in oraculo Danielis, Messias exprimitur, quem jam advenisse constat ex ipso temporis spatio praefinito ab eodem Propheta: et quidem vel septuaginta hebdomades sint dierum, vel hebdomades annorum (sicut revera sunt accipiendae), jam praeterierunt; etenim 70. hebdomades dierum, absolvunt dies 490, hebdomades annorum conficiunt annos 490; sed hoc temporis spatium a pluribus jam seculis elapsum est. Ergo etc.

---

(1) *Daniel. Cap.* 9.
(2) *Isai. Cap.* 54.

Prop. IV.

Oraculum Danielis in uno Christo adimpletum est.

Nam qui a Daniele praedicitur Messias, vocatur *Sanctus*, is dicitur peccata deleturus, ac justitiam adducturus: haec autem unus Christus adventu suo praestitit: ipse enim praeclaro quodam modo *Sanctus* praedicatur in Evangelio: *Quod nascetur ex te Sanctum*, *vocabitur Filius Dei* (1): rursus peccata mundi unus expiavit Christus suo sanguine, qui effusus dicitur *in remissionem peccatorum* (2). Denique Christus solummodo justitiam adduxit sempiternam, cum ipse instituerit religionem justificantem ad finem usque mundi duraturam; quare D. Paulus de Christo Jesu, sic disserit: *Qui factus est nobis . . . . justitia*, *et sanctificatio* (3). Igitur notae, quibus a Daniele Messias designatur uni Christo conveniunt. Ergo etc.

Scholion

Oraculis hactenus expositis, non modo Judaei, sed et Gentiles Christum inficiantes, apprime profligantur: nam cum veteris, ac novi testamenti libros jam ostenderimus esse divinitus inspiratos, rectae disputationi absonum non erit, si ex iisdem sacris libris vel contra Gentiles argumenta hauriantur.

---

(1) *Lucae Cap.* 1.
(2) *Matth. Cap.* 26.
(3) *I. Ad Corinth. Cap.* 1.

CAP. II.

De necessitate Incarnationis.

Propositio.

Contra Wiclefum Fides docet, Incarnationem non esse ita absolute necessariam, ut ab ea decernenda pro salute humani generis, Deus abstinere non potuerit.

Nam cum Incarnatio sit opus ad *extra*, ac Deus in adoperibus *extra* sit omnino liber, quisque Catholicorum per se perspiciet, Deum potuisse non decernere Incarnationem. Hinc Summae Misericordiae, ac Benevolentiae Dei erga homines adscribunt sacrae litterae Incarnationis mysterium; *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* (1). Ergo etc.

Corollarium.

Proinde sequitur I. Necessariam non esse Incarnationem; posita Mundi creatione, cum sacrae litterae, ut dictum est, Incarnationem exhibeant tanquam divinae misericordiae argumentum.

II. Necessariam non esse, etiam posito lapsu humani generis, cum opus redemptionis sit prorsus gratuitum, ut monet Apostolus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, quae est in Christo Jesu* (2), adeoque poterat Deus lapsum hominem non redimere.

III. Neque absolute necessariam esse ex hypothesi in qua Deus voluisset hominum genus reparare, ut docet D. Augustinus: *Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem; quibus dicimus; poterat omnino* (3).

---

(1) *Joan. Cap.* 3.
(2) *Ad Rom. Cap.* 3.
(3) *Lib. de Agone Christiano Cap.* 11.

Q. Quid si fiat hypotesis perfectae, seu condignae satisfactionis, fuit ne prorsus necessaria incarnatio Verbi?

R. Affirm. Haec enim constans est Patrum doctrina; inquit enim D. Athanasius (1): *Cum Verbum omnibus longe antecellat . . . . solus idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, et pro cunctis apud Patrem intercederet*; et sane ad condignam satisfactionem requiritur perfecta aequalitas inter personam laesam, et satisfacientem, ut enim ratio offensae tanti aestimatur, quanta est dignitas personae laesae, ita satisfactionis ratio ex dignitate satisfacientis desumitur: jamvero illa perfecta aequalitas, sine Verbi incarnatione, constare non potuisset; siquidem persona laesa, Deus est infinitae sanctitatis, et e contrario quaecumque creatura finitam nonnisi sanctitatem habet; unus autem Deus, Deo aequalis est. Ergo *necesse est ut eam* (satisfactionem) *faciat Deus homo* (2), qui ut homo poenas peccatis nostris debitas ferret, et ut Deus meritum infinitum satisfactoriis huiusmodi poenis communicaret; hinc illud Isaisae, *Deus justus, et salvans, non est praeter me* (3).

CAP. III.

De Causis Divinae Incarnationis.

DUo hic occurrunt enucleanda I. Quaenam sit causa efficiens II. Quae finalis causa sit divinae Incarnationis: haec duplici subjecta propositione exponemus.

PROP. I.

Certum est Incarnationem esse opus totius Trinitatis.

FIdes enim docet, quaecumque Deus extra se operatur, toti Trinitati communia esse; jamvero etiam fide

(1) *Orat. de Incarn. Verbi Dei.*
(2) *S. Anselmus Lib. 2. Cur Deus Cap.* 6.
(3) *Cap.* 45.

cuique exploratum est, Incarnationem opus esse, quod Deus extra seipsum molitus est, juxta illud Apostoli: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (1). Ergo etc.

Scholion

Licet Incarnationis opus toti Trinitati sit adscribendum; sacrae litterae tamen singulari quadam *appropriatione* Spiritui Sancto attribuunt (2); nam Spiritui Sancto ex Patre, Filioque per amorem procedenti, adjudicari solent opera caritatis Dei erga homines: at mysterium Incarnationis maximum opus caritatis Dei in homines esse, nemo omnium non videt.

Prop. II.

Fide certum est Incarnationis finem fuisse, ut homo lapsus redimeretur.

Id enim expresse legimus in Scripturis, quarum singula testimonia illud inculcant frequentissime, nimirum Filium Dei in terris apparuisse, ut homines peccato perditos liberaret: *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat* (3): et alibi, *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (4). Ergo etc.

Scholion

Num vero haec unica fuerit perficiendae Incarnationis causa, quaestio est ad Fidem non pertinens: verum illustriores Theologi cum D. Augustino ceterisque Patribus in ea sunt sententia, ut credant nullam aliam *fuisse caussam veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere* (5).

---

(1) *Ad Galat. Cap.* 4.
(2) *Matth. Cap.* 1. *et Luc. Cap.* 1.
(3) *Lucae Cap.* 19.
(4) *I. Ad Timoth. Cap.* 1.
(5) *D. Augustiuus Serm.* 175.

CAP. IV.

De Essentia Incarnationis.

Cum Incarnatio nihil aliud sit, quam conjunctio duplicis naturae, divinae scilicet, et humanae in una Verbi persona; hinc duo nobis Incarnationis Mysterium contemplantibus obversantur, et divinae personae unitas, ac duae naturae simul intimo nexu copulatae, sed distinctae: quare I. De unica Christi persona: deinde de duabus naturis, earumque unione quid fides doceat, paucis evolvemus.

§. I.

De Unica Christi persona.

Prop. I.

Sola Verbi persona humanam assumpsit naturam.

In sacris enim Litteris Verbum divinum dumtaxat legimus induisse carnem, *et Verbum Caro factum est* (1). Hanc fidei veritatem, quam a Christo accepit Ecclesia opposuit Sabellianis, quos propterea a sinu suo ejecit, quod nullam divinarum personarum distinctionem agnoscentes, fateri cogebantur Patrem fuisse incarnatum, ac passum.

Prop. II.

Fidei dogma est, unam esse in Christo personam.

Sacrae litterae apertissime nos edocent, unum eumdemque Christum esse simul Deum, et hominem, ita D.

---

(1) *Joan. Cap.* 1.

Paullus (1): *Ex quibus* (Israelitis) *est Christus secundum carnem , qui est super omnia Deus* ; atqui unus , idemque Christus nequit esse Deus simul , et homo , nisi unica sit in ipso persona. Ergo etc. Hinc D. Augustinus sic docet : *Anima , et Caro Christi cum Verbo Dei , una persona est , unus Christus est* (2). Hujusmodi fidei dogma variis in Conciliis OEcumenicis statuit Ecclesia , nimirum in Ephesino , in Chalcedonensi , et in Constantinopolitano II. : eamdem veritatem profitemur in Symbolo , quod Athanasii nomine inscribitur , his verbis : *Sicut anima rationalis , et caro unus est homo , ita Deus , et homo unus est Christus.*

Corollarium

Ex dictis deducitur Verbum sibi copulasse naturam humanam hypostatice , idest in unitatem personae divinae : nulla igitur extat in Christo persona humana , ut definivit Concil. Chalced. contra Nestorium , his verbis (3) : *Utriusque naturae proprietates salvas manere , et in unam persónam* (Verbi), *atque unam hypostasim concurrere.* Etenim humanitas Christi per suam cum Verbo conjunctionem desinit esse sui juris , ac rursus desinit esse principium suarum operationum , sed in omnibus a Verbo regitur , ac perficitur : neque inde conficere licet aliquid detrimenti illatum esse humanitati , cum suam *personalitatem* amiserit in Christo : haec enim longe nobiliori modo per divinam Verbi personam suppletur ; nam per unionem hypostaticam natura humana eo dignitatis evehitur , ut in omnium perfectionum divinarum societatem , et communionem veniat ; hinc ajebat S. Leo : *Dei Filius assumpsit formam servi . . . . . humana augens , divina non minuens* (4).

(1) *Ad Rom. Cap. I.*
(2) *Tract.* 49. *in Joan.*
(3) *Act.* 5.
(4) *Epist.* 24. *ad Flavianum Cap.* 2.

Prop. III.

Beata Virgo Maria vere est Deipara, idest Dei Mater.

In divinis Scripturis Filius Dei dicitur expresse natus, te factus ex Maria Virgine: ita enim Angelus Mariam alloquitur: *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* (1): et alibi *misit Deus Filium suum factum ex muliere* (2), idest ex Maria Virgine: atqui Filius Dei vere Deus est, ut alias ostendimus; igitur Beata Virgo Maria vere est Mater Dei; hac in re unanimis est Patrum consensus: audiatur prae ceteris S. Greg. Nanzianzenus. *Si quis S. Mariam DEIPARAM non credit, extra Divinitatem est* (3). Hanc veritatem definierunt Patres Ephesini adversus Nestorium.

Scholion

Cave putes Virginem Mariam dici Deiparam, quod divinitatem genuerit, id enim quam longissime abest a fide Catholica; sed dici, ac vere esse Deiparam, quod ex ea, et in ipsius utero formatum sit Corpus a Verbo divino in unitatem personae assumptum, statim atque fuit conceptum: et cum terminus generationis sit persona geneti, quae in Christo sola est persona Verbi, idcirco recte dicimus Christum Deum genitum ex Maria Virgine, quae proinde Dei Genetrix praedicanda est.

§. II.

De duabus Christi naturis in universum sumptis.

Sicut unam in Christo personam, ita duas in ipso naturas distinctas, et integras Christiana tradit fides.

---

(1) *Luc. Cap.* 1.
(2) *Ad Galat. Cap.* 4.
(3) *Orat.* 31.

P R O P O S I T I O.

Duae sunt in Christo naturae distinctae, et integrae Divina nempe, et Humana.

CHristus enim nequit esse Deus, et homo, nisi utraque in eo sit natura, divina scilicet, et humana prorsus distincta; et quidem Christus *est super omnia Deus* (1), ut inquit D. Paullus: est etiam verus homo, ut ipse Christus de se testatur, inquiens: *Quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum* (2): his Scripturarum oraculis innixum OEcumenicum Chalcedonense Concilium adversum Eutychem definiit: *Unum, eumdemque Christum . . . . in duabus naturis, inconfuse, indivise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem* (3).

§. III.

De humana Christi natura.

HUmana natura duabus coalescit partibus, corpore scilicet, et anima; de utroque igitur agemus, et primo quae de Christi corpore proponit fides attingemus.

P R O P. I.

Christus verum, ac solidum habuit Corpus.

ET quidem corpus phantasticum non est caro, sed merum simulacrum carnis: Scriptura autem docet Verbum carnem factum esse (4). Igitur Verbum assumpsit

(1) *Ad Rom. Cap.* 9.
(2) *Joan. Cap.* 8.
(3) *Actione* 5. *tom.* 4. *Concil. Labb.*
(4) *Joan. Cap.* 1.

Corpus verum. Ad haec in Scripturis legimus Christum natum esse, crevisse, adolevisse, lacrymas fudisse, flagellis caesum, ac cruci affixum mortem obiisse: jamvero *si phantasma fuit Corpus Christi* (tota hac vitae suae ratione) *fefellit Christus, et si fefellit, veritas non est: est autem veritas Christus, non igitur phantasma fuit Corpus ejus*, ita disputat D. Augustinus (1): hinc qui in contrarium sensum abiere, tanquam haeretici habiti sunt ab Ecclesia.

Prop. II.

Christi Corpus non fuit e coelo allatum, sed ex B. Virgine genitum.

Et sane Christus a B. Virgine Maria corpus suum sumpsit, cum ex ea in Scripturis dicatur conceptus, natus, ac genitus: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum* (2): et alibi *Iacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (3). Ergo jure eos, qui contrario sensu abrepti sunt, haereticorum numero accensuit Ecclesia.

Scholion.

Beatam Virginem ante partum, in partu, ac post partum virginitatem servasse, dogma fidei est, Scriptura, ac Patrum traditione perpetuo probatum: nam Messiam singulari prodigio e Matre Virgine nasciturum Isaias praedixit: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium* (4). Messius vero Jesus Nazarenus est, ejusque Mater Maria ut supra dictum est, quae Spiritus Sancti virtute eum concepit, ut Evangelistae testantur: *Spiritus Sanctus*

(1) *Lib.* 83. *Quaestionum*, *quaest.* 14.
(2) *Lucae Cap.* 1.
(3) *Matt. Cap.* 1.
(4) *Cap.* 7.

superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (1): Quapropter sine virginitatis jactura Filium suum concepisse, ac peperisse, certissimum est. Maria porro a Graecis aeque, ac Latinis Patribus semper Virgo nuncupata est: quam veritatem, et Concil. Chalcedonense, et quinta Generalis Synodus confirmarunt; proinde merito ab Ecclesia judicati sunt ut haeretici, non solum qui Jesum ex Josepho communi more genitum effutiebant, sed etiam qui post Christi partum Mariam filios habuisse asserebant, quem errorem Origenes vocat *insaniam* (2), Ambrosius *sacrilegium* (3), Epiphanius *blasphemiam* (4).

Prop. III.

Christi Corpus fuit ante resurrectionem corruptibile idest doloribus, aliisque communibus naturae humanae infirmitatibus obnoxium: sic contra Incorrupticolas.

Verbum omnes assumpsit, uno excepto peccato, humanae vitae miserias: et sane in Scripturis appellatur Christus vir dolorum, ac sciens infirmitatem (5); *Qui vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (6); hinc in novo testamento Christum legimus, non solum doloribus, sed et fame, siti, ac corporis defatigatione affectum (7), quae profecto totidem sunt humanae naturae infirmitates. Ergo etc.

Scholion

In nobis infirmitates, quibus obnoxii sumus originem trahunt a peccato, a quo natura sua immunis erat Chri-

---

(1) *Lucae Cap.* 1.
(2) *Homil.* 7. *in Lucam.*
(3) *Lib. de Istit. Virgin. Cap.* 5.
(4) *Haeresi* 78.
(5) *Isai. Cap.* 53.
(6) *Ibidem Cap.* 4.
(7) *Matth. Cap.* 4. *Joan. Cap.* 4. *et Cap.* 19.

stus, qui proinde eas nostri causa tantum suscepit: nos itaque dolores, ac infirmitates ob peccatum inviti patimur: Christus contra innocens voluntarie passus est, ac sponte in seipso dolorem, et infirmitatem excitabat, ac moderabatur, ut apposite observat Damascenus: *Christus volens fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est* (1).

§. IV.

De Anima humana Christi.

TRia hic fidei dogmata enucleamus. I. Verbum assumpsisse animam humanam II. Animam Christi propriam voluntatem, atque operationem habuisse. III. Animam Christi libertate fuisse donatam.

PROP. I.

Christus humanam Animam habuit.

ANimam hominis Verbum sibi copulasse exploratissimum fidei dogma est: Christus namque in Evangelio passim se hominem dicit; (2) at sine Anima, quae rationis sit particeps, ne intelligi quidem potest hominis natura: et expressius alibi, *Ego pono*, inquit, *animam meam, ut iterum sumam eam* (3). Ergo etc. Quamobrem Ecclesia, in Concil. Alexandriae coacto, definivit, *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers* (4).

COROLLARIA

Ex his patet I. Animae Christi humanum inesse intellectum, qui sane est proprietas, ac perfectio Animae

(1) *Lib.* 3. *De Fide Orthod. Cap.* 20.
(2) *Ioan. Cap.* 8.
(3) *Joan. Cap.* 10.
(4) *Ita legitur in Epistola Synodica ad Antiochenses.*

humanae: secus Verbum assumpsisset Animam mancam, et imperfectam, quod D. Augustinus merito vocat *absurditatem, et insaniam non ferendam* (1).

II. Verbum in Christo non gessisse vices animae humanae, quod fidei dogma propugnavit Ecclesia contra Arianos.

III. Animam Christi affectus innoxios, ac naturae congenitos, doloresque sensisse, ut ipsemet testatus est, inquiens: *Tristis est Anima mea usque ad mortem* (2). Cave tamen putes hujusmodi affectus, atque animi motus Christum invitum, ac reluctantem sensisse, ut supra jam advertimus; hanc ob rationem animi motus in Christo D. Hieronymus (3) non *passiones*, sed *propassiones* appellare consuevit.

Scholion

Tenent Ecclesiae Patres ab initio suae conceptionis humanam Christi naturam fruitam esse intuitiva Dei visione, ut infra adnotabimus; cum autem Verbum Omnipotenti sua virtute humanam naturam regeret, mirum non est, si in sua humanitate cohibuerit gaudium, ac locum reliquerit doloribus: ad rem Augustinus; *Ubi summa potestas est, ad voluntatis nutum tractatur infirmitas* (4).

Prop. II.

Duplex in Christo voluntas, et operatio agnoscenda est, divina scilicet et humana.

Hujus propositionis prima pars liquido constat ex Scripturis; Christus enim suum Patrem alloquens, inquit; *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (5): et

(1) *Tract.* 47. *in Joan.*
(2) *Matth. Cap.* 26.
(3) *In Cap.* 26. *Matth.*
(4) *Tract.* 49. *in Joan.*
(5) *Lucae Cap.* 22.

alibi, *non quaero voluntatem meam*, *sed voluntatem ejus*, *qui misit me* (1). In Christo igitur extitit voluntas distincta a voluntate Patris; illa autem nonnisi humana esse potest, cum voluntas divina eadem in Patre sit, ac in Filio; adeoque duplex admittenda est in Christo voluntas, divina nempe et humana.

Altera pars liquet ex eo, quod fides docet, nimirum duplicem in Christo esse naturam: sed quaelibet natura propriam habet operationem: hinc Patres ex duplici operatione Christi contra Eutychem adstruebant duplicem naturam distinctam: et sane quaedam operationes Christi, ut tristari, sitire, esurire nequeunt cadere in divinam voluntatem: quaedam aliae, ut sunt miracula a Deo patrata, tribui nequeunt voluntati humanae; ergo duplex in Christo operationum genus: hanc fidei veritatem definiere PP. sextae Synodi Generalis his verbis: *Christum perfectum in Deitate*, *et perfectum eumdem in humanitate*, *secundum priscas Patrum traditiones . . . praedicamus*; *et quemadmodum duas naturas percipimus*, *ita et duas naturales voluntates*, *et duas naturales operationes agnoscimus* (2).

PROP. III.

Anima Christi libertate pollebat.

Ex iis, quae hactenus edisseruimus, veritas propositionis innotescit; nam libertas est naturalis perfectio humanitatis, at supra ostendimus perfectam Christo fuisse humanitatem: libertas item requiritur ad merendum, ac satisfaciendum, quod quidem praestitit Verbum in humanitate assumpta, quemadmodum infra demonstrabims. Ergo etc. Quo autem nexu simul consocientur Christi libertas, et *impeccabilitas*, mirum quantum ingenia theologorum torquentur; sed haec ad rationem non pertinent hujus instituti, in quo nobis propositum est ea

(1) *Joan. Cap.* 6.
(2) *Tom.* 6. *Concil. Labb.*

tantum raptim evolvere, quae divina revelatio nobis aperuit.

COROLLARIUM.

Ex dictis recte colligimus et illud christianae religionis dogma, nimirum humanitatem a Verbo assumptam, humanitati nostrae fuisse consubstantialem, ut Ecclesia Catholica docet adversus Eutychem: Christus enim carnem habuit ex Virgine, quae nobis consubstantialis est; igitur et ipse consubstantialis est nobis: hoc argumento usi sunt Patres Constantinopolitani Concilii, his verbis; *Si ergo Mater ejus consubstantialis est nobis, et ipse secundum carnem consubstantialis est nobis.*

APPENDIX

De unione Hypostatica.

Q. In quo consistit unio hypostatica Verbi cum humanitate?

R. Sita est in sola communicatione esse divini facta humanitati: hoc enim posito facile cognoscitur, quomodo natura humana non sit persona humana, sed divina: quoniam ratio personae propriae in eo posita est, ut sit sui juris, non alterius, ut a seipsa regatur et gubernetur, non ab alio; atqui per realem communicationem esse divini factam humanitati, recte intelligitur quomodo natura humana non sit juris proprii, sed alieni, idest Verbi, non a seipsa regatur, sed a Verbo, ut supra jam innuimus: etenim cum natura inferior accedit ad superiorem, inferior desinit esse juris proprii, sed regitur atque gubernatur a superiore; ut videre licet in humano corpore respectu animae rationalis, cui copulatur etc.

COROLLARIA

I. Ex praefata doctrina consequitur illud fidei dogma, quod contra Nestorium profitetur Ecclesia Catholica, idest unionem Verbi cum humana natura non solum mo-

ralem, sed physicam, et substantialem esse; alioqui Christus non esset vere, physice, et substantialiter Deus, ut fides docet: hoc argumentum adhibuit Cyrillus, inquient; *Quomodo non magis oportuit illud pro certo habere, cum omnes per terrarum orbem sparsi Ortodoxi Episcopi, et Laici Christum Deum, Virginem vero, quae illum genuit, Deiparam esse confiteantur* (1)?

II. Sequitur Idiomatum in Christo communicatio, de qua infra instituetur sermo.

III. Colligitur humanam Christi naturam nullo unquam reali momento temporis extitisse sine unione cum Verbo: nam Maria Virgo concepit, ac genuit Deum: rursus in Christo nusquam duo extiterunt filii; quae omnia vera non essent; si vel momento temporis natura humana extitisset sine substantiali unione cum Verbo: hinc Ecclesia jure damnavit Eutychem, quod assereret ante unionem tantum, duas extitisse in Christo naturas (neque enim voluit humanitatem in primo suae conceptionis instanti fuisse cum Verbo hypostatice conjunctam): qui loquendi modus supponebat fuisse aliquando Christi naturas sine mutua secum invicem unione.

IV. Infertur substantialem Verbi unionem cum humanitate fuisse indissolubilem, adeoque Verbum numquam dimisisse, quod semel assumpsit, juxta S. Ioannem Damascenum: Hinc in Symbolis jure profitemur Dei Filium ad inferos descendisse, quia ejus Anima Verbo copulata remansit; item Dei Filium sepultum fuisse, quia Verbum mansit unitum Corpori, quod conditum fuit in sepulchro.

C A P. V.

De Consectariis Incarnationis.

Quae ex divina Incarnatione Verbi consequuntur, vel spectant idiomatum communicationem, vel titulos, qui-

(1) *In Epistola ad Coelestinum Papam.*

bus ob Incarnationem insignitus est Christus, vel dona, quibus ob intimam Divini Verbi praesentiam ornatus est: haec omnia distinctis paragraphis brevi enucleabimus.

§. I.

De Idiomatum Communicatione.

NOnnulla in antecessum notanda I. Idioma, et proprietas idem porsus sunt, adeoque idiomatum communicatio est reciproca proprietatum naturae divinae, et humanae in Christo praedicatio, ita quidem ut, quae Dei propria sunt, homini Christo tribuantur, et quae hominis sunt, Christo Deo adscribantur.

II. Nomina alia sunt *abstracta*, alia *concreta*: abstracta exprimunt formam, seu naturam, non vero subjectum, in quo forma residet; cujusmodi sunt voces istae *Divinitas*, *Humanitas*; *concreta* vero exprimunt subjectum, in quo natura residet; hujus generis sunt voces illae *Deus*, *Homo*.

PROP. I.

Adversus Arianos: Fides Catholica docet revera dari in Christo idiomatum communicationem in concreto.

NAm Scriptura Christo homini tribuit, quae Dei sunt, et vicissim quae homini conveniunt adscribit Christo Deo, et certe de Christo sic loquitur: *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo Filius hominis, qui est in Coelo* (1); hic Scriptura asserit Christum hominem, et in terris degere, et simul esse in coelo, quod uni Deo proprium est: rursus de Christo alibi haec habet: *In hoc cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* (2), heic divina oracu-

(1) *Joan. Cap.* 3.
(2) *Joan. Cap.* 3.

la mortem Christo Deo adscribunt, quae uni homini competit. Ergo etc.

Corollarium

Hinc recte enunciantur de Christo hae propositiones: *Deus est homo*, *homo est Deus*, *Deus est natus*, *crucifixus*, *mortuus*, *sepultus*: *homo est immortalis*, *aeternus* etc. quia natura expressa nomine concreto e. g. *homo*, non sumitur praecise pro significanda natura, sed pro persona habente naturam; quocirca in fidei Symbolis profitemur *Jesum Christum Filium Dei unigenitum*, *esse Deum verum* . . . . *qui propter nos homines incarnatus est* . . . *passus*, *mortuus*, *et sepultus*: et sane eadem Christi persona nempe Filius Dei Divinitatem simul, et humanitatem complectitur; quare vocibus concretis, juxta sensum Catholicum possumus eidem Christi personae tribuere, quae humanitatis propria sunt.

Prop. II.

Contra Lutheranos Ecclesia Catholica tenet non esse admittendam in Christo idiomatum communicationem in abstracto.

Nam licet duae naturae in Christo unicam efficiant personam, illarum tamen proprietates de se invicem in abstracto praedicari nequeunt, quippe quia vocibus abstractis significantur solae naturae, et quidem seorsim a persona Christi consideratae, sic autem spectatae, nequeunt de se invicem earum proprietates affirmari; hinc haereticae essent hae propositiones: *Divinitas est mortalis*, *humanitas est immensa*, *et ubique praesens*: non secus atque in homine, licet Anima, et Corpus unam constituant personam, eorum tamen proprietates de se invicem in abstracto affirmari nequeunt; quocirca quis unquam dixerit, *Corpus est rationale*, *Anima est corporea*, *ambulat*, *sedet etc.*

Scholion

Ut accuratus sermo habeatur de idiomatum in Christo communicatione, omnisque vel erroris suspicio caveatur, huic regulae, quae ceteras a Theologis hac in re traditas complectitur, sedulo inhaerendum est, ut scilicet nihil distinctioni naturarum, vel personae unitati noceatur, nec alterutri naturae aliquid tribuatur, quod ipsi proprie non conveniat.

§. II.

De Titulis, quibus Christus ob Incarnationem insignitus est.

VArio nominum genere in Scripturis decoratur Christus: appellatur enim Filius Dei, Pontifex, Mediator, Redemptor, Salvator, etc. Hic itaque, singillatim de praeclarissimis hisce Christi titulis disseremus, ac primo de Christi Filiatione.

Prop. I.

Christus ut homo Filius Dei naturalis est, nec adoptivus dici potest.

ADoptivus is dicitur filius, qui ab extraneo assumitur in filium, ex quo percipimus personam adoptandam debere adoptioni praeexistere; atqui fide certum est Verbum eodem temporis momento, quo in utero Virginis humana natura afformata fuit, eam substantiali unione sibi copulasse, ac propriam ei *personalitatem* communicasse; igitur humana natura, quae nunquam per se substitit, nec Verbo unquam extranea fuit, adoptari haud poterat. Quocirca sacrae litterae unicum Dei Filium ex Virgine natum passim praedicant (1); immo apertissime tradunt Christum secundum eam naturam, quae videbatur, qua

(1) *Lucae Cap.* 1.

baptisma recipiebat, qua tradebatur, fuisse Filium Dei proprium, Dilectum, et Unigenitum (1) Jure propterea Patres Concilii Francofordiensis damnarunt ut haereticos contrarium sentientes.

Prop. II.

Christus Mediator est Deum inter, et homines.

Hoc fidei dogma expresse inculcat Scriptura, sic enim loquitur D. Paullus: *Unus Deus, unus et Mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus* (2): et quidem Christus omnes perfecte absolvit Mediatoris partes, et I. Interpres fuit divinae voluntatis apud homines: *ipse*, enim, *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris enarravit* (3), quaecumque credenda nobis Catholica proponit Ecclesia, ut vitam adipiscamur aeternam II. Deprecator extitit, et advocatus noster apud Deum, ut testatur D. Joannes: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum* (4), qui etiam nunc in coelis ad dexteram Dei sedens, *interpellat pro nobis* (5). III. Divinae justitiae pro nobis cumulatissime satisfecit tradens redemptionem *semetipsum pro omnibus* (6): haec contra Socinianos tenet Ecclesia.

Prop. III.

Christus est Mediator prout est homo, qui Verbo substantialiter est conjunctus: ita contra Calvinum.

Christus ut homo est, potest peragere ea, quae Mediatori sunt propria, ut orare, interpellare, satisfacere

(1) *Joan. Cap.* 9. *Matth. Cap.* 3. *ad Rom. Cap.* 8.
(2) *I. Ad Timoth. Cap.* 2.
(3) *Joan. Cap.* 1.
(4) *Joan. Cap.* 2.
(5) *Ad Rom. Cap.* 8.
(6) *I. Ad Timoth. Cap.* 2.

etc., haec enim inferiorem naturam arguunt; hinc D. Paullus ait: *Unus Mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus* (1). Ergo *per hoc mediator Christus, per quod homo* (2): porro opera Mediatoris Deum inter et homines, oportet sint infinitae dignitatis, ac pretii; sed hujusmodi sane fuerunt opera Christi, propterea quod homo Christus, fuit Verbo substantialiter conjunctus: hoc argumento usus est D. Cyrillus, inquiens, si Christus ut homo tantum, et non etiam ut Deus, mediator esset, *Quomodo mundo liberando sat esse potuisset* (3)?

Corollarium

Hinc in explendis mediationis officiis humanitas Christi se habuit ut causa efficiens, et meritoria; ipsa namque orat, interpellat, satisfacit: Verbum vero se habet ut principium morale, unde in physicos actus humanitatis infinitum pretium, ac meritum dimanat.

Prop. IV.

Christum promeritum fuisse in operibus suis, Catholicae fidei dogma est: sic contra Novatores.

Conditiones ad meritum requisitae sunt sanctitas, libertas, ac Dei remunerantis promissio: hanc autem in Christo fuisse ex his, quae dicta sunt, patet apertissime; nam ipse naturalis Dei Filius intrinseca, et substantiva sanctitate fuit praeditus; quare Sanctus per excellentiam ab Angelo vocatur (4); item cum in terris degeret, arbitrii libertate fuit insignitus (5), nec tandem defuit Dei remunerantis promissio, ut apud Isaiam legitur (6): *Si*

(1) *I. Ad Timoth. Cap.* 2.
(2) *Augustinus Lib.* 11. *de Civ. Dei Cap.* 2.
(3) *Lib. de Recta Fide part.* 2.
(4) *Apud Lucam Cap.* 1.
(5) *In Cap. IV. §. IV. Prop. III.*
(6) *Isai. Cap.* 53.

posuerit pro peccato animam suam, *videbit semen longaevum*; hinc Ecclesia innixa Christi meritis, semper suas preces ad Deum fudit per Jesum Christum: hanc veritatem definivit Trid. Synodus (1): *Si quis dixerit homines sine Christi justitia*, *per quam nobis meruit*, *justificari . . . anathema sit*. Ergo etc.

PROP. V.

Plura sibi, *ac nobis promeritus est Christus*.

SIbi enim promeritus est, et gloriam corporis (2) et Nominis sui exaltationem (3): *Propter quod et Deus exaltavit illum*, *et dedit illi nomen*, *quod est super omne nomen*; ac meruit, ut ubique agnosceretur uti verus Deus: nobis vero promeruit omnia spiritualia bona: I. Praedestinationem; nam *Praedestinavit nos* (Deus). *per Jesum Christum* (4). II. Vocationem ad fidem: vocavit nos *vocatione. . . . . quae data est nobis in Christo Jesu* (5). III. Justificationem, quia *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (6) IV. Omnia dona gratiarum; Christus enim ipse inquit, *Sine me nihil potestis facere* (7). V. Demum vitam aeternam: *Gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro* (8).

SCHOLION

Fidei dogma est Christum Mediatórem nostrum esse, non solum doctrina, et exemplo, sed veris meritis, ac

(1) *Sess.* 6. *Can.* 10.
(2) *Lucae Cap.* 24.
(3) *Ad Philipp. Cap.* 2.
(4) *Ad Ephes. Cap.* 1.
(5) *I. Ad Timoth. Cap.* 1.
(6) *I. Joan. Cap.* 1.
(7) *Joan. Cap.* 15.
(8) *Ad Rom. Cap.* 6.

imprimis sui sanguinis oblatione, quae Sacerdotis, ac victimae vices sustinens, debitum solvit, quod homines peccando contraxerant, Deum iratum placavit, hominesque Deo reconciliavit; haec veritas catholica subjectis propositionibus planius ac fusius enucleabitur.

Prop. VI.

Christus pro nobis vere, ac proprie satisfecit.

Nam vice nostra mortem subiit, ut D. Petrus testatur, inquiens: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis* (1). Hac particula *pro*, Scriptura consuevit significare veram subrogationem unius personae in locum alterius; Christus igitur summe innocens sua morte pro nobis injustis vere satisfecit, idest pretium ipse solvit divinae justitiae, quod nobis ratione culpae solvendum erat: id profecto expressius indicavit ipse D. Petrus, cum docuit nos non corruptibilibus auro, aut argento redemptos esse, sed pretioso sanguine Christi (2), idest Christum sui sanguinis effusione veluli praeclarissimo humanae redemptionis pretio homines liberasse, adeoque pro ipsis vere satisfecisse.

Prop. VII.

Christi satisfactio compensandae injuriae per peccatum Deo illatae, non modo fuit aequalis, sed et superabundans.

Etenim D. Paullus docet gratiam, adeoque satisfactionem Christi, cujus illa fructus est, potiorem fuisse delicto, atque plus virtutis habuisse ad liberandos homines, quam peccatum ad eosdem perdendos, inquit enim:

(1) *Petri Cap.* 3.
(2) *I. Petri Cap.* 1.

Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (1): ad rem D. Chrysostomus; *Longe plura quam debeamus solvit Christus, et tanto plura, quanto immensum pelagus, ad stillam aquae collatum, majus est* (2): Ergo etc.

Prop. VIII.

Satisfactio jam dicta, Deo fuit a Christo persoluta maxime in vero, cruentoque Crucis sacrificio.

SIquidem sacrificium positum est *in externa oblatione facta Deo per immutationem alicujus rei sensibilis, et permanentis in signum Supremi dominii ex legitima institutione.* Christus autem Magnus Pontifex (3), non e stirpe Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech (4), *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis* (5): nemo omnium ignorat oblatione hostiae heic ab Apostolo designari verum, et cruentum Crucis sacrificium, in quo cum Christus suum sanguinem fuderit, etiam facta fuit victimae immutatio, ac declaratum supremum dominium Dei, qui ad salvandos homines rebelles, voluit innocentem Christum occidi; vi hujus sacrificii, pretio cumulatissime soluto, homines redempti sunt: *Christus enim per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa* (6).

Prop. IX.

Pretium redemptionis dedit Christus pro omnibus hominibus.

HAnc fidei veritatem, quam Ecclesia Catholica tenet contra Calvinistas luculentissime docent Sacrae litterae;

---

(1) *Ad Rom. Cap.* 5.
(2) *S. Chrysost. Homil.* 10. *in Epist. ad Rom.*
(3) *Ad Hebraeos Cap.* 4.
(4) *Psal.* 109.
(5) *Ad Ephes. cap.* 5.
(6) *Ad Hebraeos Cap.* 9.

a m *Christus Iesus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1): et alibi *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (2): his concinit universa patrum traditio; merito Summi Pontifices Innoc. X., et Alexander VII. hanc propositionem „ *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnarunt tamquam impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam, si intelligatur eo sensu, *ut Christus dumtaxat pro salute praedestinatorum mortuus sit*. Huic RR. Pontificum definitioni totius Orbis Ecclesiae subscripserunt.

Corollarium.

Quamobrem jure proscripti sunt ab Ecclesia, qui autumarunt Christum pro omnibus, et solis Fidelibus mortem oppetiisse, ut constat ex prop. 4 damnata ab Alex. VIII. *Dedit semetipsum* (Christus) *pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, et solis fidelibus*.

Scholion.

Licet Christus pro omnibus omnino hominibus sanguinem suum fuderit, non omnibus tamen meritum mortis ejus actu confertur; sed iis tantum, qui ipsius mortis beneficium, ac fructum percipiunt, ita PP. Tridentini (3): *Etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*; iis autem, qui in Christo renascuntur, communicatur meritum passionis Christi, ut subdit eadem Synodus.

(1) *I. ad Timoth. Cap.* 2.
(2) *I. Ioan. Cap.* 2.
(3) *Sess.* 6. *Cap.* 3.

Scholion.

Fides Catholica, non modo Christum humani generis Redemptorem, sed et Legislatorem esse, cui omnes obtemperare tenentur, nobis credendum proponit; quemadmodum ex 21. canone Tridentini Concilii Sess. Sexta abunde liquet: *Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse, ut Redemptionem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant: anathema sit.*

§. 2.

De donis, quibus Humanitas Christi per hypostaticam cum Verbo unionem ornata fuit.

Reliquis praetermissis, quae hac in re proponunt Theologi, duo tantum exponemus, alterum quod Christi Scientiam, alterum, quod ejus Sanctitatem spectat.

Prop. I.

Christus, ut homo (*) perfecta scientia humana, vel a primo conceptu, et ortu donatus fuit; ita refutantur Gnostici, Valentiniani, ac demum Ariani.

Super Christum enim requievit spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus scientiae et pietatis (1): ipse item plenus veritatis extitit (2), in eoque reconditi fuerunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei (3). Hinc patet altera propositionis pars: nam ex unione hypostatica consecutus est Christus homo perfectam scientiam (4):

(*) *Nemo enim in dubium revocavit in Christo ut Deo perfectissimam, et infinitam esse rerum omnium scientiam.*

(1) *Isaiae Cap.* 11.

(2) *Joan. Cap.* 1.

(3) *Ad Coloss. Cap.* 2.

(4) *S. Joan. Damasc. Lib.* 3. *de Ortodox. Fide cap.* 22.

atqui humanitas Christi ne momento quidem temporis a Verbo fuit sejuncta. Ergo *credimus ex ipso ventre, atque utero Virginis hominem prodiisse plenum procul dubio sapientia, et gratia, quae illi naturaliter in erat* (1); ita Christianam fidem explicat S. Cyrillus Alexandrinus de Christo disserens.

Scholion.

Neque dictis obstat quod in Evangelio legimus. Christum nempe *Profecisse sapientia, et aetate apud Deum, et homines* (2). Etenim *Christus proficiebat sapientia, non quod haec in eo incrementum caperet; quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse posset? sed quod haec paullatim detegeretur, et eluceret* (3), ita rem expedit S. Greg. Nanzianzenus.

Corollarium.

Ex propositione superius exposita aperte colligitur unanimi theologorum consensu, Animam Christi hic in terris, intuitiva Dei visione donatam fuisse; secus Christus haud vere in Scripturis diceretur plenus veritatis, ac omnibus sapientiae, et scientiae divinae thesauris refertus: qui enim Deum intuitive nondum cernit *ex parte* tantum cognoscit, et videt *per speculum in aenigmate* (4).

Prop. II.

Christus homo eximia, et perfecta sanctitate ceteris omnibus sanctis antecelluit.

Et quidem Christum hominem, Sanctum futurum fuisse omnis Scriptura vetus commemorat; hinc ipse

---

(1) *Lib. 3. contra Nestorium.*
(2) *Lucae Cap. 2.*
(3) *Orat. 20.*
(4) *I. Ad Corinth. Cap. 13.*

apud Danielem vocatur *Sanctus Sanctorum* (1): pariter in Evangelio Sanctus per excellentiam appellatur, *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (2); immo ipsi Daemones Christi sanctitatem agnoverunt, atque confessi sunt, *Scio quis sis, Sanctus Dei* (3).

Scholion.

Necesse fuit, ut Christus homo summa, ac perfecta sanctitate polleret, tum quia ut talis, est naturalis Dei Filius, tum quia Caput nostrum est, de cujus plenitudine nos membra ejus recipere debemus, tum denique, quia Sacerdotii munere functus est: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (4).

Corollaria.

I. Cum unio hypostatica Verbi cum humanitate sit substantialis, inde fit, ut Christus etiam substantialiter sanctus sit praedicandus; haec porro substantialis sanctitas efficit, ut Christus non modo sit immunis a quolibet peccato, sed etiam ab ipsa facultate peccandi; si enim peccare posset, in ipsam Verbi personam peccatum redundaret, quod impium est de Christo sentire.

II. Cum concupiscentia, D. Augustino teste, sit *poena, plaga, vestigiumque peccati* (5), cumque Verbum humanam naturam assumpserit nostri similem absque tamen peccato, ut docet D. Paullus; hinc consequitur nullam fuisse in Christo concupiscentiam, idest nullos extitisse in ipso motus, qui rationem anteverterent, et ad peccatum sollicitarent: id adeo fide certum proponit D. Augustinus, ut secus sentienti anathema dicat, his verbis:

(1) *Cap.* 9.
(2) *Lucae Cap.* 1.
(3) *Marci Cap.* 1.
(4) *Ad Hebraeos Cap.* 7.
(5) *Lib.* 2. *de Nuptiis Cap.* 9.

Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit (1).

APPENDIX.

De Cultu, qui humanitati Christi, nec non Sanctis, eorumque Reliquiis, et Imaginibus exhibendus est.

Q. QUid, et quotuplex est cultus?

R. Cultus est actus, quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam; hic triplex distinguitur *Latriae*, *Duliae*, *et Hyperduliae*: primus dicitur cultus Enti Supremo exhibitus ob divinam, et infinitam ejus excellentiam: alter est cultus alicui exhibitus propter excellentiam creatam, sed pluribus communem; tertius denique impenditur alicui propter excellentiam creatam, sed et ipsi propriam. Prima cultus species uni Deo debetur: altera exhibetur Sanctis cum Christo in coelo regnantibus: tertia demum Deiparae Virgini, quae licet emineat creata sanctitate, haec tamen ita eximia, et singularis est, ut nulli alteri creaturae conveniat, *Quid enim nobilius Dei Matre?* inquit S. Ambrosius (2).

§. I.

De Cultu, qui debetur Christo.

PROPOSITIO.

Christus latriae cultu adorandus est.

NAm latriae cultus Deo exhiberi debet; Christus autem vere Deus est, quia Verbum Patri consubstantiale humanitati substantialiter conjunctum est Igitur adoratio latriae Christo debetur: eadem fidei certitudine

---

(1) *Lib. 4. Operis Imperf.*
(2) *Lib. 2. de Virginibus.*

exploratum est, Christo etiam ut homini adorationem latriae esse tribuendam; nam hic homo Christus, recte dicitur Deus ob idiomatum communicationem: ergo recte quoque dicitur adorandus, et quidem latriae cultu; hujusmodi adorationem, ut humanitati Christi impenderent, Angelis praecepit Deus, teste Apostolo: *et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae; dicit, et adorent eum omnes Angeli Dei* (1): is igitur adorandus praecipitur, quem Deus introduxit in mundum; introduxit autem Deus in mundum Christum hominem, seu humanitatem Verbo conjunctam; ergo absoluto latriae cultu Christi humanitas adoranda est; hanc veritatem definiit Alexandrina, et Ephesina Synodus, quarum vestigia premens Lateranense Concilium definitionem iteravit, his verbis: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, semotim homini . . . aut si quis, non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.*

§ II.

De Cultu, quo prosequimur Sanctos.

P r o p. I.

Aliquis religiosus cultus debetur Sanctis cum Christo in coelo regnantibus.

PErfecta caritas, ac praestantissimae virtutes, quibus in coelis eminent sancti, postulant, ut religiosum illis cultum praestemus: hinc Ecclesia semper, et ubique religioso cultu prosecuta est sanctos, cujus sanctissimae praxis initium jure institutioni Apostolicae adscribitur, quod nec in Conciliis; nec in aliis Ecclesiarum decretis illius vestigia deprehendantur: et quidem Patres

(1) *Ad Hebraeos Cap.* 1.

quarti saeculi, ut Augustinus (1), Ambrosius (2), Hieronymus (3), Chrisostomus (4), Gregorius Nanzianzenus (5), aliique doctrinam de cultu Sanctorum, non ut rem novam, sed antiquo Ecclesiae usu receptam tradiderunt, ac nemo unquam extitit inter Pastores, qui memoratam doctrinam novitatis accusaret Igitur Ecclesia, quae columna est, ac firmamentum veritatis, semper et ubique Sanctos cum Christo regnantes religiose coluit, et colendos docuit.

S c h o l i o n.

Neque ob doctrinam hucusque expositam nobis impingere possunt haeretici idololatriae crimen; Ecclesia enim colit Sanctos tanquam Dei servos, et amicos; solum autem Deum adorat, ut Supremum Dominum, sic Hieronymus refutavit Vigilantium: *Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Jure Concilium Trid. (6) statuit *impie sentire* Acatholicos, qui cultum Sanctorum idololatriam esse effutiunt.

P r o p. II.

Bonum atque utile est invocare Sanctos una cum Christo regnantes.

Ex litterarum divinarum auctoritate manifestum est pios sanctosque viros in terris adhuc degentes, non sine spirituali commodo invocari posse; ita Apostolus pro fidelibus se orare scribit (7), quorum precibus ipse quoque se commendat (8); quin immo Jacobus fideles

(1) *Lib.* 20. *contra Faustum Cap.* 21.
(2) *Lib.* 1. *de Virginitate.*
(3) *Contra Vigilantium.*
(4) *Homil.* 23. *in Cap. X. act.*
(5) *Orat.* 2.
(6) *Sess.* 25.
(7) *Ad Colossenses Cap.* 1.
(8) *Ibidem Cap.* 4.

hortatur, inquiens: *Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua* (1); jamvero sancti, qui in gratia jam confirmati, ac divino fruentes adspectu, non sunt inferioris conditionis, ac si essent in terris, cum nos inter, atque illos adhuc intercedat communio, quam in symbolo profitemur, his verbis, *Sanctorum communionem*; bonum itaque, atque utile est invocare Sanctos regnantes in coelis. Hanc doctrinam catholica profitetur Ecclesia, quae in Tridentina Synodo mandat Episcopis, ut de invocatione Sanctorum *Diligenter fideles instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum . . . ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere* (2): Qui vero hanc doctrinam rejicere, vel impugnare audebunt, eos impie sentire ipsa S. Synodus declarat.

Scholion

Tridentini Concilii auctoritate cautum est, eos quoque impie sentire, qui asserunt invocationem Sanctorum adversari honori unius mediatoris Dei, et hominum Jesu Christi: nam Ecclesia unum veneratur mediatorem Dei, et hominum, hominem Christum Jesum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, idest, qui propriis meritis, dato suae vitae pretio nos redemit, adeo quidem, ut ab eo veluti a fonte dimanet quidquid gratiae nobis largitur Deus: Sanctos vero cum Christo regnantes colit, quia advocati munus implent gradu longe inferiori, scilicet Christi nomine Deum supplices orant, et ob ejusdem Christi merita a Deo nobis impetrant gratiae auxilia: hoc autem ministerio Sancti potius commendant Christi gloriam, cum nihil aliud, quam ejusdem merita Deo Patri offerant.

---

(1) *Cap.* 5.
(2) *Sessione* 25.

§. III.

De Cultu Reliquiarum.

ADprobatum usum invocationis Sanctorum consequitur unanimis doctrina Universae Ecclesiae de colendis eorum Reliquiis. Docet itaque Ecclesia Martyrum, aliorumque Beatorum cum Christo regnantium corpora sancta, quae viva in terris fuerunt Christi membra, templumque Spiritus Sancti, quaeque ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda sunt, debere a fidelibus honorari; proinde, qui Sanctorum Reliquiis venerationem exhibere, aut eas, aliaque sacra monumenta honorare detrectaverit, atque eorum auxilii impetrandi causa, Sanctorum templa in ipsorum memorias Deo consecrata frequentare, inutile, atque illicitum esse affirmaverit, is ab Universa Ecclesia proscriptus existimandus est: sic se habet de cultu Reliquiarum Catholica doctrina, quam iisdem ferme verbis exposuit Tridentina Synodus. (1)

P r o p o s i t i o.

Licet itaque venerari Sanctorum Reliquias

DEus ipse miraculis plurimis ostendit veneratione prosequendas esse Sanctorum Reliquias Nam Eliae pallio percussae aquae Iordanis, in gratiam Elisaei dividuntur (2): ad contactum cadaveris Elisaei insigni prodigio Deus ad vitam mortuum revocavit (3); Hinc ab ipsis Ecclesiae Christianae primordiis Reliquiae Martyrum magno in honore habitae sunt; (4) fideles enim summa veneratione exceperunt corpus S. Cypriani Mar-

(1) *Sess.* 25.
(2) *Lib. IV. Regum. Cap.* 2.
(3) *Ibid. Cap.* 53.
(4) *Ut patet ex Epistola Encyclica Ecclesiae Smirnensis apud Eusebium Lib.* 4. *Hist. Eccles. Cap.* 14. *de Martyrio Policarpi.*

tyris (1), ac D. Ambrosius scribit (2), corporibus SS. Gervasii et Protasii aliquos sanatos, qui a spiritibus immundis torquebantur, ac caecum toti urbi notissimum, recuperasse visum. Hujus rei veritas palam quoque sit ex Cyrillo Hierosolimitano (3), Gregorio Nanzianzeno (4), Basilio (5), Hieronymo (6), et Augustino (7); Quare qui huic dogmati adversantur, *Omnino damnandi sunt, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia* (8).

§. IV.

De Cultu Imaginum.

PROPOSITIO I.

Universalis Ecclesiae doctrina Catholica est, Imagines Christi Domini, Deiparae Virginis, atque etiam aliorum Sanctorum haberi, ac retineri posse praesertim in templo, atque insuper hujusmodi Imaginibus honorem, et venerationem impertiendam esse.

HAnc fidei veritatem pluribus Conciliorum Generalium decretis definivit Ecclesia; etenim Concilium Nicaenum II. sic statuit, *Sequentes . . . Catholicae traditionem Ecclesiae definimus . . . sicut figuram pretiosae Crucis, ita Venerabiles, ac Sanctas imagines proponendas . . . . congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis.* Deinde eos, qui sanctis Imaginibus venerationem exhi-

---

(1) *Ut liquet ex proconsularibus actis.*
(2) *Epist.* 22.
(3) *Catechesi* 18.
(4) *Orat.* 3. *advers. Julianum Apostatam.*
(5) *Homil. in Psal.* 115.
(6) *Adversus Vigilantium.*
(7) *Lib.* 9. *Confess. Cap.* 7.
(8) *Trid. Synod. Sess.* 25.

bendam non esse affirmare non dubitarunt, anathemate confixit Ecclesia Catholica in Concilio Constantinopolitano IV. his verbis: *Intemeratae Genitricis (Christi) effigiem . . . et Sanctorum omnium veneramur, et colimus, qui aliter sentiunt, Anathema sunto.* Planius denique, atque expressius adversus Novatores Tridentina Synodus definivit: *Imagines Christi, Virginis Deiparae, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam* (1).

PROP. II.

Profitemur porro honorem, et cultum omnem, quem Imaginibus exhibemus, referri omnino ad eorum prototypa, quae scilicet ab eis repraesentantur, ita ut non proprie Imagines, sed per Imagines, vel Christum adoramus, vel Sanctos veneramur, quorum illae similitudines gerunt.

EXpositam propositionem Concilium Tridentinum inhaerens doctrinae Secundae Synodi Nicaenae (2) enucleavit, ac definiit, inquiens: Imagines a nobis non coli, *quod credatur inesse aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae . . . sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus procumbimus Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur* (3).

COROLLARIUM.

Hinc planum fit, cultum exhibitum sanctis Imaginibus esse *relativum*, non *absolutum*; nam cultus dicitur ab-

(1) *Sess.* 25. *Decret. de Venerat. et Reliquiis Sanct. et sacris Imagin.*

(2) *Sess.* 7.

(3) *Sess.* 25. *Eodem Decreto.*

solutus, qui exhibetur alicui ob excellentiam sibi propriam, et inhaerentem; relativus vero appellatur, si exhibeatur propter excellentiam alterius, quem repraesentat, vel ad quem refertur.

SCHOLION.

Propositas hactenus veritates de Sanctorum invocatione, Reliquiarum, et Imaginum cultu, fide divina credere debemus; licet enim illas expresse in sacris litteris definitas non reperiamus, universali tamen Traditioni innixa, nobis proponit credendas Ecclesia Catholica, quae in approbatione, vel reprobatione cultus, qui a fidelibus exhibetur, infallibilis est: hinc Tridentina Synodus doctrinam superius indicatam *juxta Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae usum a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum traditionem, et sacrorum Conciliorum decreta* (1) enodavit, ac stabilivit.

TRACTATUS

DE CHRISTI GRATIA.

Licet plurima sint, quae de Christi gratia prolixius, quam par est disputant Theologi, nos tamen ex instituti nostri ratione, amotis Scholarum tricis, ea exponenda curabimus, quae uti certa, et explorata, catholica tenet Ecclesia: idque ut assequamur, quam maxima brevitate ea proponemus, quae olim contra Pelagianos, Semipelagianos, ac novissime contra Novatores gratiae Christi Redemptoris hostes infensissimos, Universalis Ecclesia statuit. Totam itaque de Christi gratia tractationem sex capitibus complectemur I. De gratiae definitione, ejusque divisionibus II. De gratiae necessi-

(1) *Sess. 25. Ibidem.*

tate III. De illius *gratuitate*. IV. Demum de habituali gratia, et de justificatione, ac meritis delibando disseremus.

CAPUT I.

De Gratiae definitione, ejusque divisionibus,

Q. Quid est Christi gratia?

R. Gratia ideo sic dicta, *quia gratis datur* (1), definitur *Donum supernaturale gratis a Deo concessum homini lapso, intuitu meritorum Christi, in ordine ad vitam aeternam.*

Q. Quotuplex est Christi gratia?

R. Multiplex, et I. Praeter externas gratias, quae tantum exterius nos afficiunt, cujusmodi sunt Lex, praedicatio Evangelii, Christi exemplum, ejusque miracula, aliaque ejusdem generis, praeclarior longe est, quae interius nos adjuvat, movetque; haec itaque dividitur in gratiam *gratis datam*, et *gratum facientem*: illa est *donum indebitum, supernaturale ad aliorum praesertim utilitatem ordinatum*: hujus generis sunt dona linguarum, prophetiae, discretionis spirituum, et alia quae recenset Apostolus (2): haec vero dicitur gratia, *quae hominem Deo gratum reddit*, et complectitur omnia beneficia, quibus excitamur, et praeparamur, ut Deo accepti simus, vel justi reapse constituamur, aut ejusdem justitiae perfectionem recipiamus; hinc patet hanc gratiam eo in primis spectare, ut sanctum efficiat, cui ipsa confertur, ac proinde merito praeferendam esse omnibus gratiis gratis datis, ut monet D. Paullus loco superius laudato, juxta ipsius Christi doctrinam (3). Haec eadem porro gratia gratum faciens dispescitur in gratiam *habitualem*, et *actualem*: illa, ex Tridentinis Patribus (4),

(1) *D. Augustinus in Psal.* 44.
(2) *I. Ad Corinth. Cap.* 12. *v.* 8.
(3) *In Evang. Luc. Cap.* X.
(4) *Sess.* 6. *Can.* 11. *et Cap.* 7.

definitur gratia, quae in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur, eisque inhaeret, ex injustis faciens justos, ex inimicis amicos, nec non vitae aeternae secundum spem haeredes, haec vero est *inspiratio sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus* (1), seu, ut ceteri PP. loquuntur, est divina quaedam motio, et inclinatio, qua veri cognitio, et boni amor nobis caelitus infunditur.

Haec rursus dividitur in gratiam *praevenientem*, et *subsequentem*: illa est, quae praevenit omnem bonum voluntatis actum; haec vero eundem voluntatis actum a gratia excitatum subsequitur, seu auget, ac perficit: hujus divisionis gratiae meminit David, inquiens: *Misericordia ejus praeveniet me* (2); et alibi: *Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitae meae* (3): quae de gratia praeveniente, ac subsequente modo traditae sunt notiones apprime conveniunt, tum gratiae *operanti*, et *cooperanti*, tum *excitanti*, et *adiuvanti*, quae duae postremae actualis gratiae divisiones nomine tantum, non re, a prima differunt.

Consectaria, quae contra Pelagianos deducuntur.

Ex hactenus dictis patet I. Gratiam Christi medicinalem, non esse ipsum hominis liberum arbitrium; hoc enim donum a Deo nobis collatum naturale est: at quae Deus impertivit nobis naturae bona, ampliori tantum significatione, gratiae nomine donantur.

II. Christi gratiam non esse legem, ac doctrinam; nam *Si per legem justitia, Christus gratis mortuus est* (4). Quare Synodus Palestina, quae haeresim Pelagianam damnavit, hanc assertionem Pelagii proscripsit: *Gratia Dei . . . in libero arbitrio est, et in lege, atque doctrina.*

(1) *D. Augustinus contra duas Epist. Pelag. Lib.* 4.
(2) *Psal* 68.
(3) *Psal.* 22.
(4) *Ad Galat. Cap.* 2.

III. Eandem Christi gratiam in interna mentis illustratione, ac praesertim in voluntatis ad bonum inclinatione reponendam esse; cum gratia nobis detur ad sanandas animi infirmitates, nimirum ad dispellendas ignorantiae tenebras, atque impetus concupiscentiae cohibendos.

IV. Praeter habitualem, etiam actualem gratiam esse agnoscendam, ut docet secunda Synodus Arausicana Can. X. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis* (qui sane jam habitualis gratiae ornamento praefulgent) *semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

CAPUT II.

De Necessitate gratiae.

PROP. I.

Gratia necessaria est vel ad levissimum initium Fidei.

Apostolus haec habet ad Romanos scribens, *Quis prior dedit illi* (Deo) *et retribuetur ei* (1); jamvero si vel minimum initium fidei a nobis esset sine gratiae auxilio, *initium fidei nostrae priores damus Deo, ut retribuatur nobis, et supplementum ejus, et si quid aliud fideliter poscimus*, ita ratiocinatur D. Augustinus (2). Ergo initium fidei a nobis non est, sine speciali auxilio gratiae; hoc fidei dogma definitum occurrit in Concilio Arausicano II.: *Si quis, sicut augumentum, ita etiam fidei initium, quo in eum credimus, qui justificat impium... non per gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus S. . . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur* (3). Ergo etc.

(1) *Cap.* 11.
(2) *Lib. De Praed. SS. Cap.* 2.
(3) *Can.* 5.

Corollarium.

Atque hinc compertum fit fidei amplectendae cogitationes, quae menti occurrunt, audita Evangelii praedicatione, nonnisi donum Dei esse, juxta illud Apost. (1): *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; quin immo pios omnes credulitatis affectus ex Evangelii notitia in nobis exortos, Dei esse liberalissimum domum, catholica docet fides, quam PP. Concilii Arausicani Can. VII. exponentes, inquiunt: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, idest Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus S. . . . haeretico fallitur spiritu*; suffragantur etiam Tridentini PP. (2).

Scholion

Licet prima gratia, quam Deus homini per Christum largitur, sit fides, cum sine fide impossibile sit placere Deo, Apostolo teste; tamen si nomine fidei intelligatur perfectus assensus, quem intellectus creatus praebet veritatibus revelatis, fides non est prima gratia; nam assensum illum antevertunt pia desideria audiendi Evangelium, cogitationes de suscipienda fide, rectae animi propensiones erga revelationem, quae omnia divini muneris esse Christiana docet fides, ut ex hactenus dictis luculentissime constat.

Prop. II.

Ut homo piis scientiis intentus juvetur ad aeternam vitam suscipiendam, requiritur gratia idest inspiratio sanctae dilectionis.

HÆc omnium Catholicorum unanimis vox est: nam quaevis scientia animum excitans ad salubriter operan-

(1) *Ad Corinth. II. Cap.* 3.
(2) *Sess. VI. Can.* 3.

dum, promissa est nobis per merita Christi; ac pro ea gratias Deo rependere tenemur cum Apostolo alloquente Corinthios, his verbis: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et in omni scientia* (1). His accedit Ecclesiae auctoritas, quae contra Pelagianos statuit, Dei gratiam dari ad singulos actus salutares; jamvero adipisci scientiam eorum, quae exequi debemus, ac insuper amore prosequi ea, quae jam mente asseculi sumus in ordine ad vitam aeternam, actus sunt salutares. Ergo etc. Quare merito Concil. Arausic. II, definivit *divini muneris esse etiam cum recte cogitamus* (2). Ergo etc.

P r o p. III.

Ad observanda Dei mandata ut oportet, divino gratiae auxilio indigemus.

Non enim possumus implere legem sicut oportet, nisi, ex Apostoli doctrina, condelectemur legi Dei secundum interiorem hominem, et nisi vincamus legem positam in membris nostris, et captivantem nos in lege peccati: atqui id praestare nequimus, *nisi Spiritus adjuvet infirmitatem nostram*, ut ait idem Apostolus (3): merito igitur preces quotidie ad Deum fundimus, quibus intellectum, et caritatem postulamus ad legem scrutandam, et faciendam; proindeque nemo catholicorum neget divina gratia nos indigere ad servanda Dei mandata: hanc veritatem Milevitanae Synodi PP. can. 7. sic statuerunt: *Quisquis dixerit, eamdem gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid ap-*

(1) *I. Ad Corinth. Cap.*
(2) *Cap.* 9.
(3) *Ad Rom. Cap.* 8.

petere, quid vitare debeamus, non autem per illam etiam praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.

COROLLARIUM.

Hinc sine gratia non possumus super omnem creaturam Deum diligere, quod est in lege primum, et maximum mandatum, quemadmodum expresse docet scriptura, inquiens, *Caritas ex Deo est* (1): ex quo scripturae testimonio saepissime probat D. Augustinus necessitatem gratiae ad diligendum Deum. Hanc fidei veritatem definivit Tridentina Synodus, his verbis: *Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, et diligere posse, sicut oportet, anathema sit* (2). Ut autem Tirones declinent quorumdam Theologorum opinationes, qui minus accurate hac de re disputarunt, ac firmiter adhaereant Scripturarum, ac Conciliorum doctrinae, prae oculis habeant haec praeclarissimi Cardinalis Bellarmini verba: *Existimamus non posse Deum, sine ope ipsius, diligi, neque ut auctorem naturae, neque ut largitorem gratiae, neque perfecte, neque imperfecte ullo modo: atque hanc non dubitamus esse sententiam S. Augustini, immo etiam Scripturarum, et Conciliorum, quidquid aliqui minus considerate hac in parte scripserint* (3).

SCHOLION.

Ecclesia tanquam haereticos insectata est, qui non minus stulte, quam impie opinati sunt, gratiam requiri non ad simplicem, sed ad faciliorem divinae legis observantiam, ut cuique palam fit ex Canone quinto Milevit. Concilii: *Quicumque dixerit gratiam dari, ut*

(1) *I. Joan. Cap.* 4.
(2) *Sess.* 6. *Can.* 3.
(3) *De Gratia, et Lib. Arb. Lib.* 6. *Cap.* 6.

quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit: his concinit Tridentina Synodus (1).

PROP. IV.

Sunt tamen homini lapso possibilia Dei mandata etiam sine gratia.

HÆc veritas innotescit ex Trident. Concilio; á quo sic definitum legimus: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum, amissum, et extinctum esse dixerit . . . . anathema sit.* Si igitur homo lapsus liberam habet agendi facultatem, possibilia sunt ipsi mandata Dei; secus dicendum esset, per gratiam in homine libertatem creari, quo nihil et rationi, et auctoritati magis absonum excogitari posset: Quocirca D. Augustinus docebat, ideo non frustra dari hominibus praecepta, quia libero pollent arbitrio: *Praecepta inaniter darentur hominibus non habentibus liberum arbitrium* n. 6., non ait, *non habentibus gratiam* (2), et alibi; *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid a Deo esse praeceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari* (3). Ergo etc.

COROLLARIUM

Quamobrem facile colligitur peccato se obstringi homines, qui nulla adjuvante gratia, legem violant: etenim, *Cum dico tibi, sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni* (supernaturalis) *dico, nam ad male agen-*

(1) *Sess.* 6. *de Just f. Can.* 2.
(2) *Lib. de Gratia, et Lib. Arbitr. Cap.* 18.
(3) *Lib. de Nat et Grat. Cap.* 43.

dum habes, sine adjutorio Dei liberam voluntatem (1), ita rem explicat D. Augustinus: at fusius hac de re infra redibit sermo.

P r o p. V.

Multa fiunt ab Infidelibus, et impiis opera honesta, et virtutum officia, quae si ratione operis inspiciantur, nonnisi ab haereticis appellari possunt peccata.

Hoc fidei dogma definivit (2) Concil. Tridentinum his verbis: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata . . . anathema sit.* Rursus Concilium Constantiense damnavit hanc Wiclefi propositionem (3): *Omnia peccatoris opera sunt peccata*; juxta hanc Catholicam Ecclesiae doctrinam merito RR. PP. in Baio proscripserunt hujusmodi articulum: *Omnia infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia*; et profecto si homines, de quibus sermo est, nihil honeste peragere possent, *non vitiata, sed extincta esset natura* (4).

C o r o l l a r i u m.

Fiunt ergo a non dum justificatis, non modo opera ex fine proximo, sed etiam undequaque bona, quibus ad justificationem obtinendam disponuntur; hanc veritatem confirmat Scriptura, cum commendat humilitatem Publicani (5), eleemosynas Cornelii Centurionis (6), et cum passim peccatores hortatur ad conver-

(1) *Serm.* 156. *de Verbis Apostoli Cap.* 1.
(2) *Sess.* 6. *Can.* 18.
(3) *Sess.* 15.
(4) *D. Prosper contra Collatorem Cap.* 22.
(5) *Lucae Cap.* 18.
(6) *Act. Cap.* 10.

sionem, idest, ut nitantur redire ad gratiam, quaerere animae salutem, et Deo vocanti obtemperare, quaquidem opera impiis peragenda sunt, priusquam habituali gratia informentur. Cave tamen putes haec opera undequaque bona fieri posse ab homine lapso sine actuali gratia; opera enim hujusmodi oportet in Deum dirigantur tanquam ultimum finem, quod certe fieri nequit sine aliquo amore ejusdem finis; jamvero Deum nulla ratione diligi posse sine actualis gratiae adjutorio, jam supra ostendimus. Ergo etc.

PROP. VI.

Homo lapsus non potest sine gratia superare aliquam tentationem sicut oportet.

SAcrae litterae victoriam ex tentationibus, divinae gratiae, non humanis viribus adscribunt; legimus enim in Psalmis: *In te eripiar a tentatione* (1): immo jubemur sine intermissione orare ad conterendos spiritales hostes, cujus orationis formam Christus ipse praescripsit nobis, *et ne nos inducas in tentationem* (2); quocirca Synodus Arausicana definiit: *Divini muneris est, cum... pedes nostros a falsitate, et injustitia continemus* (3). Ergo etc.

PROP. VII.

Nemo potest vitare peccata quaeque venialia in toto suae vitae decursu, nisi ex peculiari privilegio.

HOc dogma et Scriptura, et traditione manifestissime proditum est: *Si dixerimus*, inquit D. Joannes (4),

(1) *Psal.* 15.
(2) *Matth. Cap.* 6.
(3) *Can.* 9
(4) *I. Joann. Cap.* 1.

quoniam peccatum non habemus, *ipsi nos seducimus*, quae verba ad omnes omnino sublimioris etiam sanctitatis homines spectare docent PP. Milevitani (1), D. Augustinus (2), ceterique Patres: eandem veritatem quotidie profitemur oratione Dominica, his verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, quam orationem omnes vel eximiae sanctitatis viri fundere tenentur: Cave tamen existimes praefatam orationem a justis recitari, humilitatis, non veritatis caussa; nam Tridentinum sic definiit: *Si quis sic accipiendam putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est* (3), noverit hanc interpretationem esse pelagianam Can. VI. Milevitano proscriptam. Hinc Augustinus inter dogmata, quae Catholica profitetur Ecclesia adversus Pelagianos, et hoc recenset, idest: *In quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere* (4).

SCHOLION

Quam diligentissime animadvertendum est in exposita modo propositione generali, nullo modo comprehendi purissimam Dei Matrem, quam immunem prorsus extitisse ab omni peccato Ecclesia tenet, ut statuit Tridentina Synod., his verbis: *Si quis dixerit hominem semel justificatum . . . posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit* (5),

---

(1) *Synod. Milev. Can.* 6.

(2) *De Nat. et Gratia Cap.* 36. *et De Pecc. Mer. Cap.* 17.

(3) *Trid. Sess.* 6. *Cap.* 11.

(4) *De Dono Persev. Cap.* 2.

(5) *Sess.* 6. *Can.* 23.

PROP. VII.

Nemo potest in accepta justitia usque in finem perseverare sine specialissimo Dei dono.

HOc fidei dogma stabilivit D. Augustinus (1) contra divinae gratiae hostes, ipsis orationis Dominicae verbis: Sancti enim singulis petitionibus dominicis a Deo poscunt perseverantiae donum: et sane cum dicitur *Sanctificetur nomen tuum*, *id petimus*, *ut qui in baptismo sanctificati sumus*, *in eo quod esse coepimus*, *perseveremus* (2); rursus cum rogamus: *Adveniat regnum tuum*, *quid aliud petimus nisi*, *ut veniat nobis*, *quod non dubitamus venturum esse omnibus sanctis* . . . *qui perseverant usque in finem*: item cum poscimus, *Fiat voluntas tua sicut in coelo*, *et in terra*, optamus, *ut homines in facienda voluntate Dei aequentur Angelis Dei*: *cum hoc orant sancti*, *perseverantiam demonstrantur orare*: praeterea, cum dicitur *Panem nostrum quotidianum etc.* Fideles petunt, ne *a Christi corpore separentur*, *sed in ea sanctitate permaneant*, *qua nullum*, *quo inde separari mereantur*, *crimen admittant*: dicimus porro, *Dimitte nobis debita nostra etc.* quibus verbis, etsi petamus praeteritarum culparum indulgentiam, rogamus tamen, ut ea obtenta, permaneamus usque in finem in Ecclesia non habente rugam, neque maculam. Denique sic oramus, *et ne nos inducas in tentationem etc.*, ut in sanctitate perseverantes *nulla ab eo ratione discedamus*; atqui irrisoria esset haec quotidiana oratio, si quod a Deo petimus in hominis esset potestate. Igitur perseverantiae donum a Deo est. Jure Tridentina Synodus (3) postquam docuit donum perseverantiae obtineri non posse, *nisi ab eo*, *qui potens est*, *eum qui stat*,

(1) *Lib. de Don. Persev. Cap.* 3.

(2) *S. Cyprian. Lib. de Dominica Orat. cujus verba refert D. Augustinus loco laudato.*

(3) *Sess.* 6. *Cap.* 13.

statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere: Fidei articulum sic concinnavit: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit* (1).

PROP. IX.

Fides itaque Catholica docet gratiam ad singulos actus supernaturales dari.

Nam D. Augustinus (2) inter fidei articulos ad gratiam spectantes, hunc recenset: *Scimus gratiam majoribus ad singulos actus dari.* Hinc Pelagius in Concilio Diospolitano (3) coactus fuit doctrinam jam dicto articulo oppositam damnare tanquam apertam haeresim: Christus enim propositionem a nobis expositam iisdem ferme verbis confirmavit, inquiens: *Sine me nihil potestis facere* (4), idest nihil eorum, quae ad supernaturalem ordinem attinent, ut constans Patrum traditio explicavit. Ergo etc.

SCHOLION

Gratia, quam ad singulos actus supernaturales requiri tenet Ecclesia contra Pelagianos, non est habitualis, quam agnoscere non diffitebantur illi gratiae hostes (5), sed actualis, qua homini *invito, et reluctanti Deus inspirat boni cupiditatem, ut jam non sit reluctans, sed consentiens bono, et volens bonum* (6), seu illa gratia,

---

(1) *Eadem Sess. Can.* 22.

(2) *In Epistola ad Vitalem.*

(3) *Ita testatur D. Augustinus Lib. de gestis Pelag. Cap.* 4.

(4) *Joann. Cap.* 15

(5) *Ut refert D. Augustinus in Libris de Nat. et Gratia, et in Epist.* 89. *de gestis Pelagii.*

(6) *D. Augustinus Lib.* 2. *ad Bonifaciam Cap.* 8.

quam Ecclesia pro justis iugiter postulat, inquiens: *Fac nos tibi semper, et devotam gerere voluntatem, et maiestati tuae sincero corde servire.* (1)

CAP. III.

De Gratiae gratuitate.

PROPOSITIO

Catholicae fidei dogma est, gratiam non dari secundum merita nostra.

ID expresse docet Scriptura cum inquit: *Si autem gratia; jam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia* (2), et quidem opus quodlibet humanum utpote naturale nihil affinitatis habet cum auxilio supernaturali, quod proinde nulla ratione promereri potest; quapropter D. Augustinus inter Catholicae fidei dogmata, recensuit hanc veritatem: *Quoniam ergo*, ait, *propitio Christo, Christiani Catholici sumus . . . scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus secundum merita nostra dari* (3). Jure PP. Concilii Arausicani II. definierunt quodlibet initium meriti, non ab homine, sed a gratia praeveniente desumendum esse: *Hoc etiam*, inquiunt, *salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui prius inspirat* (4): praeclarae huic Catholici dogmatis expositioni, consentiunt Tridentini PP. (5). Ergo etc.

(1) *Orat. infra Octav. Ascens.*
(2) *Ad Rom. Cap.* 11.
(3) *Epist.* 217. *ad Vitalem Cap.* 5.
(4) *Can.* 25.
(5) *Sess.* 6. *Can.* 25.

Scolion

Praefatum dogma, non solum respicit habitualem gratiam, qua justi efficimur, sed etiam actualem, qua ad justificationem disponimur: nam Arausicani P P., ac D. Augustinus contra Pelagianos, ac semipelagianos de illa gratia disserebat, quae ad credendum necessaria est, et qua indigent justi ad perseverandum; quisque autem per se aperte intelligit gratiam hujusmodi esse actualem.

Corollaria.

I. Ex ostensis consequitur, nullis naturalibus operibus nos mereri posse, sive *de condigno*, sive *de congruo* supernaturale gratiae adjutorium; ait enim D. Augustinus: *Gratia Dei, non erit gratia ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo* (1): hanc doctrinam S. Doctor hauserat ex divinis Litteris, quae modo testantur neminem prius aliquid Deo tribuere, propter quod gratiae beneficium rependat (2), modo ad rationem gratiae illud pertinere praedicant, ut non sit debita operibus (3).

II. Neminem posse se disponere sive *positive*, sive *negative* ad gratiam promerendam: dispositio enim positiva ad gratiam est justificationis initium, quod Tridentina Synodus declaravit *a praeveniente gratia sumendum esse*: quae porro esset haec dispositio, nisi forte animi conatus, desiderium, labor etc. at haec quoque divinitus nobis impertiri definiit Concilium Arausicanum (4), his verbis: *Misericordiam divinitus non conferri sine gratia Dei desiderantibus, conantibus, laborantibus, pulsantibus, aut quicquam tale facientibus nobis, atque fieri per inspirationem Spiritus Sancti, ut haec omnia sicut oportet agere valeamus.* Praeterea ne-

---

(1) *De Pecc. Origin. Cap.* 24.
(2) *Ad Rom. Cap.* 11.
(3) *Ad Rom. ibidem.*
(4) *Can.* 6.

gativa dispositio ad gratiam, esset fortasse majus ingenium, minora peccata, honestae, utilesque doctrinae, et alia hujusmodi: sed haec omnia non esse causam electionis gratiae, mirifice probat D. Augustinus contra gratiae inimicos (1).

III. Hinc etiam liquido constat quomodo accipiendum sit celeberrimum illud axioma: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, idest facienti quod in se est cum adjutorio gratiae moventis, et operantis, Deum tribuere uberiorem gratiam, scilicet sive fidem perfectam, sive justificationem, sive augumentum caritatis, sive gloriam: apposite D. Thomas (2): *Dicendum quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur secundum illud Joan.* (3): *sine me nihil potestis facere, et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo* Si alia proferretur laudati axiomatis explicatio, vel gratia daretur secundum merita, vel homo sine gratia ad gratiam se disponeret, quod erroneum esse supra ostendimus.

CAP. IV.

De Virtute gratiae.

Duo hac in re Catholica docet Ecclesia I. Sub quacumque gratia vel efficacissima nequaquam laedi liberum hominis arbitrium II. Non omnis gratiae virtutem ejusmodi esse, ut ei aliquando revera non obsistat perversa hominum voluntas. Ut autem subjectis propositionibus illa explicemus, duo in antecessum accurate sunt animadvertenda, juxta sacrarum litterarum auctoritatem. I. Dari gratiam, cujus efficientia tanta est, ut operetur *in nobis velle, et perficere* (4), quae proinde *a*

(1) *Lib.* 1. *ad Simplic. Quaest.* 2. *et Lib.* 1. *de Pecc. Merit. Cap.* 22. *num.* 31.
(2) 1. 2. *Quaest.* 109. *art.* 6. *ad* 2.
(3) *Cap.* 15.
(4) *Ad Philip. Cap.* 11.

nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur (1), hanc *efficacis* nomine communiter donare consueverunt Theologi. II. Deum aliquando nobis impertiri gratiam, quae licet ipsum bonum revera agere non praebeat, agendi tamen boni facultatem tantum inspirat, quaeque humanae perversitatis vitio in actum non prodit, ut ipse Deus in Proverbiis innuit, inquiens: *Vocavi*; et *renuistis* (2): hujusmodi gratiam saniores theologi *Sufficientem*, aut *inefficacem* appellarunt.

P r o p. I.

Sub qualibet divinae gratiae efficientia, humana voluntas, arbitrii servat indifferentiam

Licet sacrae litterae testentur Deum virtute suae gratiae efficere, ut nos in adimplendis praeceptis suis ambulemus (3); aliis tamen in locis docent nos inclinare cor nostrum ad faciendas justificationes divinas (4), nosque Deo adjuvanti cooperari (5), et alia hujusmodi, ut suadeant efficacissima divini adjutorii actione nunquam everti liberum arbitrium: Catholicam hanc veritatem, sic nobis credendam proposuit Tridentina Synodus (6): *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet: neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Itaque actio divini auxilii non tollit, sed praevenit tantum, et ad-

(1) *D. Augustinus de Praedest. SS. Cap.* 8.
(2) *Cap.* 8.
(3) *Ezechielis Cap.* 36.
(4) *Psal.* 118.
(5) *I. Ad Corinth. Cap.* 3.
(6) *Sess.* 6. *Can.* 4.

juvat operationem humani arbitrii. Hinc patet quam merito damnaverit Ecclesia hanc Jansenii propositionem: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Ergo etc.

Q. Quid igitur in opere supernaturali tribuendum gratiae, quid libero arbitrio?

R. Opera supernaturalia, quia Dei gratia incipiunt, et perficiuntur, sunt Dei munera: cum vero assensu voluntatis nostrae fiant, nostra sunt merita: at praestat hic audire D. Bernardum, qui egregie hac de re, ita disserit: *Ipsa gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum, sanat, cum immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum: servat, ne sentiat defectum . . . non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula, opere individuo, peragunt, totum quidem hoc, et totum illa, sic ut totum in illo, sic totum ex illa* (1).

Prop. II.

Agnoscenda est quoque gratia inefficax, cui liberum hominis arbitrium actu aliquando resistit.

Beneficentissimus Deus, non modo largitur nobis gratiam, quae facit, ut opera pietatis revera operemur, sed etiam impertit aliquando gratiam ejusmodi, ut ei nostrae libertatis arbitrio resistamus: hanc veritatem aperte prodiderunt divinae litterae; Deus enim ore D. Stephani, sic Judaeorum pervicaciam increpavit: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut, et Patres vestri, ita et vos* (2). Sed quid est Spiritui Sancto resistere, nisi divinae gra-

(1) *De Gratia, et Lib. Arbitr. Cap.* 14.
(2) *Act. Cap.* 7.

tiae repugnare? D. ipse Augustinus conversionis suae tempore humiliter, ac sincere fatetur, se ob inveteratam pravam consuetudinem saepenumero divinae gratiae restitisse (1). Quapropter jure damnata fuit ab Ecclesia Catholica, haec Jansenii propositio: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

Scholion

Quaeret fortasse quispiam, cui bono largiatur Deus gratiam inefficacem, quam certo respuet humana voluntas? Haec gratia inefficax, quae alias appellatur *Sufficiens* a Theologis, a Deo nobis impertitur, ut mens illustretur, concupiscentiae ardor imminuatur, sicque peragendi boni operis potestas habeatur, seu ut pressius rem explicat D. Augustinus (2), haec gratia caritatem inspirat licet adhuc parvam, et imperfectam; hinc Ecclesia jure hanc propositionem proscripsit (3); *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut perinde possimus petere, a gratia sufficiente libera nos Domine.* Si praeterea quaerat quis, cur Deus pro inefficaci gratia robustiorem non infundat caritatem: Respondemus cum D. Augustino: *Cur autem Deus illum adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est aequitatis tam secretae ratio, et excellentia potestatis* (4).

---

(1) *Lib.* 8. *Confess.*
(2) *Lib. de Gratia, et Lib. Arb. Cap.* 17.
(3) *Alexander VII.*
(4) *Lib.* 2. *de Pecc. Meritis.*

CAPUT. V.

De Gratiae Distributione.

Prop. I.

Deus pro singulis media salutis instituit, paravit, exhibuit, et quantum in se est nemini gratiam denegat.

DEus enim omnibus jus dedit ad Ecclesiam accedendi, remedia in Sacramentorum virtute instituit, omnibusque paravit, ac propitiationem per fidem in sanguinem ipsius proposuit omnibus, quin immo, quantum in se est, omnibus conferre gratiam paratus est, ut innumera suadent Scripturarum oracula; quibus modo impios hortatur, ut a viis suis pessimis convertantur, et vivant (1), modo se omnium hominum salutem velle testatur (2), modo denique declarat, se illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum (3); at vero si humana voluntas tot exhibita sibi spernat beneficia, mirum non est si divinae gratiae auxilio destituatur, ut praeclare advertit D. Augustinus: *Gratia est, quae hominum adjuvat voluntates, quae ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo* (4).

Prop. II.

Fidei Catholicae dogma non est, omnibus actu conferri gratiam sufficientem.

LIcet enim sacrae litterae declarent Deum omnium misereri, omnibusque opem ferre, adeoque omnium sa-

(1) *Ezechiel. Cap.* 18.
(2) *I. Ad Timoth. Cap.* 2.
(3) *Joan. Cap.* 1.
(4) *De Pecc. Merit. Lib.* 2. *Cap.* 17.

lutem velle, sensu supra exposito (1); nemo tamen inficias ire poterit, Deum olim dimisisse gentes ingredi vias suas (2), iisque noluisse sua judicia manifestare (3), quae, et alia hujusmodi evincunt, non singulos homines actu sufficientis gratiae auxilia recipere; quare a temeritate non excusaretur, qui catholicis, gravissimisque theologis affirmantibus, non dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem, erroris in fide notam impingeret.

Scholion

Quamvis Ecclesia hac in quaestione nihil adhuc definierit, D. tamen Augustinus, quem Ecclesia gratiae Doctorem veneratur, docet cuique catholico exploratum esse, gratiam non omnibus dari; *Quoniam propitio Christo, christiani, catholicique sumus, scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*: (4) et I. Non datur parvulis in utero materno decedentibus, quibus conferri nequit baptisma, quod una ipsis ratio est comparandae salutis aeternae; *Plerumque festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur* (5). II. Non datur excaecatis, et induratis, quos Deus deserit, *non adjuvando*, ut loquitur idem S. Doctor (6), qui alibi testatur eos omni lumine veritatis destitutos, non posse velle bonum: *Desertus* (de excaecato disserit) *OMNI lumine veritatis, haec velle NON POTEST* (7). III. Denique denegatur iis, qui nihil de Evangelio audire potuerunt, ut ipse docet S. Pater Augustinus: *Juvenis, vel Senex in ea regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen*

(1) *In Tract. de Deo.*
(2) *Act. Cap.* 14.
(3) *Psalm.* 147.
(4) *Epist.* 217. *ad Vitalem Cap.* 5.
(5) *Lib. de Dono Persev. Cap.* 12.
(6) *Tract.* 53. *in Joannem.*
(7) *Lib. de Perfect. Justitiae Cap* 19.

audire (1), adeoque actu destitutus medio ordinario, quo in Christum credere posset. Graviter vero errant, qui ex Augustini doctrina hactenus delibata inferunt, eos, quibus denegatur auxilium sufficiens, non peccare in malis operibus suis: nam origo libertatis indifferentiae, non est gratia, sed indifferentia judicii, quae sicut manet incolumis sub qualibet victrici gratia, ita et deficiente gratia, persistit. Nec juvat regerere, eos utpote expoliatos sufficienti auxilio, non posse divina implere mandata; ad haec enim servanda habent ipsi facultatem remotam, quae sita est in libero eorum arbitrio, ita in hanc rem scite Bellarminus: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam, et imperfectam ad opera pietatis facienda* (2). Si demum ab Augustino quaeratur, cur talibus denegetur adjutorium sufficiens ad salutem, respondet ipse (3): *Quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est* (vel originalis, vel actualis), *quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

Miretur nemo, si nos praetergressi fines instituti nostri, ea hic exposuerimus, quae ad fidem non pertinent; quandoquidem, D. Augustino teste (4), neminem Catholicorum decet hanc ignorare veritatem, id est gratiam non omnibus dari; nec proinde fieri potest, ut is recte sentiat de mysterio gratiae, qui omnibus eam conferri putat, quemadmodum Episcopi in Sardinia pro fide exules scripserunt in Epistola Synodica: *De gratia Christi non digne sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari* (5).

---

(1) *Lib. de Nat. et Gratia Cap. 3.*
(2) *De Gratia, et Lib. Arbitr. Cap. 15.*
(3) *De Corrept. et Gratia Cap. 11*
(4) *Epistola 127. ad Vitalem Cap. 5.*
(5) *Cap. 9. inter Opera S. Augustini.*

Prop. III.

Omnibus justis gratiam actualem, qua divina possint implere mandata, non deesse, Catholica docet fides.

Sic enim statuit Concilium Arausicanum II. (1): *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, cujus doctrinae rationem afferunt Tridentini Patres (2), cum ajunt, *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*, adeo quidem ut, qui contra sentiunt, anathemate percellantur ab ejusdem Concilii Patribus (3); quocirca merito proscripta est *tamquam temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et haeretica* illa Jansenii propositio, quae sic se habet: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque gratia, qua possibilia fiant*: habent enim justi caritatem inhaerentem, quae ad mandata Dei custodienda, bonumque peragendum inclinat, atque tanta est Dei beneficentia, ut neminem justum deserat, nisi prius deseratur, ut ex Tridentini verbis supra allatis innuimus (4).

CAP. VI.

De Gratia Habituali.

De Habituali gratia sermonem heic habituri, universam ejus tractationem in duos articulos dispescemus: in

(1) *Leonis I. tempore celebratum Canone* 25.
(2) *Sess.* 6. *Cap.* 11.
(3) *Sess.* 6. *Ibidem.*
(4) *Cap.* 2. *Prop.* 4. *Coroll.* 2.

primo ejus naturam: in altero ejusdem effectus, duce fide, expendemus.

§. I.

De natura gratiae habitualis.

Q. QUid est gratia habitualis?

P R O P. I.

Gratia habitualis, seu sanctificans, est donum Dei supernaturale, animae inhaerens per modum habitus, quo homo efficitur justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, et haeres vitae aeternae.

EXplicatur, et ostenditur Propositio I. Dicitur *Donum inhaerens animae*, ut docet fides contra Novatores, qui ajebant gratiam habitualem, non internum, sed externum esse Dei favorem peccata non imputantis: II. Dicitur *per modum habitus*, ut distinguatur a gratia actuali, quae datur per modum actus transeuntis, atque ita significetur caritas stabilis, ac permanens in anima: III. Dicitur *quo homo efficitur Filius Dei adoptivus* etc. quia per gratiam habitualem nos Christo Filio Dei conjungimur, tamquam membra Capiti, ejusque spiritu vivimus; ut inquit Joannes (1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus*; atque hinc constituimur haeredes vitae aeternae: *Si filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*, ut docet Apostolus (2).

(1) *I. Joan. Cap.* 3.
(2) *Ad Rom. Cap.* 8.

PROP. II.

Fide certum est gratiam habitualem, adeoque caritatem esse qualitatem spiritualem permanenter inhaerentem justificato.

ID definiisse videtur Concilium Viennense, cum docuit tam parvulis, quam adultis conferri gratiam, et virtutes per baptisma, haec autem gratia non transit, sed permanet in justificato, donec iste labatur in peccatum mortale: consentit Concilium Tridentinum, cum statuit Christi merito per Spiritum Sanctum caritatem diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaerere. Ergo gratia habitualis permanenter inhaeret justificato (1): Verum non est de fide gratiam habitualem esse habitum similem aliis, quos tales nominamus, quia non videtur inclinare infantes, cum adolescunt, in actus similes illi habitui: idest in actus caritatis: quocirca Tridentini PP. ex industria abstinuerunt a nomine habitus, ac dumtaxat declararunt gratiam justificantem esse justitiam nobis inhaerentem (2).

COROLLARIUM.

Hinc gratia sanctificans cum peccato mortali consistere nequit: nam: *quae participatio justitiae cum iniquitate* (3)? Et quidem fieri nequit, ut quis sit a Deo aversus simul, et ad Deum conversus, Deo amicus simul et inimicus.

§ II.

De effectibus gratiae habitualis.

DUo sunt effectus gratiae habitualis, nimirum justificatio impii, et meritum justi: de utroque singillatim di-

---

(1) *Sess. 6. Cap. 7.*
(2) *Ibidem.*
(3) *II. Ad Corinth. Cap. 6.*

cemus ; et primo de justificatione, cujus naturam, proprietates, ac demum dispositiones requisitas ad eam assequendam exponemus.

Q. Quid est Justificatio ?

R. Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, idest in peccato, et inimicitia Dei, in statum gratiae, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum. (1)

Propositio I.

In justificatione peccata non teguntur, sed vere delentur, auferuntur, remittuntur: ita contra Pseudo-Reformatos.

Non enim ut tegantur, sed ut iniquitates suae vere deleantur, sic Deum orat David, *et omnes iniquitates meas dele* (2): rursus per Christum non tegi, sed penitus tolli peccatum, docet Joannes (3): *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Hanc fidei veritatem perspicuis Scripturarum oraculis proditam, sic definivit Tridentina Synodus : *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat : aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantummodo radi, aut non imputari, anathema sit.* (4).

Corollarium.

Hinc cum Scriptura asserit peccata tegi, et non imputari (5), vel operiri (6), non sic est intelligenda, *ut*

---

(1) *Concil. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 4.
(2) *Psal.* 50.
(3) *Cap.* 1.
(4) *Sess.* 5. *Can.* 5.
(5) *Psal.* 31.
(6) *Psal.* 84.

peccata cooperta sint, quasi ibi sint, et vivant, ut inquit D. Augustinus (1); peccatum enim nequit esse tectum, et opertum Deo, quin penitus deletum sit, ac prorsus esse desierit.

Q. Quaenam sunt proprietates Justificationis?

R. Ecclesia Catholica tenet I. Justificationis firmissimam certitudinem a nemine haberi posse sine revelatione II. Eam amitti posse III. Nec in omnibus aequalem esse; haec tria subjectis propositionibus aperiemus.

PROP. II.

Nemo potest sine speciali revelatione certissime credere se esse justificatum.

Nemo potest indubitanter scire se esse justificatum, nisi certo noverit nullum inesse sibi peccatum; atqui id prorsus incertum est, teste Scriptura: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato* (2)? Ergo etc. Hoc doctrinae catholicae caput, ita declaravit Trid. Synodus: *Quilibet dum seipsum, suamque infirmitatem respicit, de sua gratia formidare potest, cum nullus scire valeat cum certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* (3)

SCHOLION.

Non desunt tamen argumenta, ex quibus justificationis nostrae notitiam adeo probabilem sequi possumus, ut satis sit cuicumque animi perturbationi removendae; ait enim Christus: *Omnis arbor bona, fructus bonos facit . . . ex fructibus eorum cognoscetis eos.* (4) *Fructus autem spiritus est*, ad rem D. Paullus, *caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimi-*

(1) *Enar. II. in Psal* 31.
(2) *Proverb. Cap.* 20.
(3) *Sess.* 6. *Cap.* 9.
(4) *Matth. Cap.* 7.

tas, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas* (1): ubi sunt igitur hujusmodi fructus, ibi adesse quoque Spiritum Sanctum, veramque justitiam prudenter colligimus.

Prop. III.

Iustitia semel accepta amitti potest: ita contra Calvinistas.

Scriptura nos monet justum aliquando avertere se, et recedere a justitia sua, et in suis iniquitatibus mori (2), quod intelligi nequit, nisi justitia semel accepta amittatur. Quapropter Apostolus hortatur justos, ut videant, ne cadant (3), idest a justitia excidant. Jure Tridentina Synodus, ita statuit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, et peccat nunquam fuisse vere justificatum . . . anathema sit.* (4)

Scholion.

Licet justitia amitti possit, ea tamen semel acquisita aliquid habet stabilitatis: nam justitia est habitus caritatis; jam vero *habitus . . . secundum rationem suam habent*, *quod non de facili transmutentur . . . ex quo patet*, *quod nomen habitus diuturnitatem quamdam importet* (5). Ergo, qui vere justificatus est, non tam *facili* a statu justitiae ad peccatum mortale pertransiet. Hanc doctrinam Confessarii maxime prae oculis habeant.

---

(1) *Ad Galat. Cap.* 5.
(2) *Ezechiel. Cap.* 18.
(3) *I. Ad Corinth. Cap.* 10.
(4) *Sess.* 6. *Can.* 23.
(5) *D. Thom. I.* 2. *quaest* 49. *art.* 2.

Prop. IV.

Justitia in Omnibus justis non est aequalis, sed suscipit magis, et minus.

Apostolus enim ad Philippenses scribens, ajebat: *Hoc oro, ut caritas vestra magis, ac magis abundet* (1). Ergo justitia, quae caritas est, suscipit magis, et minus: atque hoc sensu justos monebat D. Joannes, his verbis: *Qui justus est, justificetur adhuc* (2), scilicet in justitia, seu caritate progrediatur: Hanc catholicam veritatem, ita definivit Trid. Synodus: *Si quis dixerit justitiam acceptam, non augeri coram Deo per bona opera . . . anathema sit* (3).

Prop. V.

Adultus nequit justificari sine praevia aliqua dispositione.

Scriptura enim illis tantum spem veniae pollicetur, qui ad illam obtinendam se se disposuerint, s c D Petrus alloquebatur Judaeos.: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (4) Quare D. Augustinus ajebat, *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te.*

Q. Quaenam dispositiones requiruntur ad justificationem?

R. Ex Tridentini doctrina requiritur I. *Fides* (quae justificationis fundamentum est) qua peccatores credunt vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt., atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu. (5)

---

(1) *Cap.* 1.
(2) *Apocalyp. Cap. ult.*
(3) *Sess.* 6. *Can.* 6.
(4) *Act. Cap.* 2.
(5) *Sess.* 6. *Cap.* 6.

II. *Timor*: cum enim peccator fidei beneficio agnoscat Deum adeo justum esse, ut iniquos aeternis addicat poenis, concutitur timore divinae justitiae.

III. *Spes*, quae timorem moderatur, et qua impius erigitur ad implorandam Dei misericordiam, *fidens Deum sibi propter Christum propitium fore.* (1)

IV. *Amoris initium*; impius namque considerans tantam Dei benignitatem, ut velit sibi indigno gratuitum justitiae donum largiri per Christum, *incipit. Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere.* (2)

V. *Odium peccati*: Inchoata enim caritas secumfert peccati detestationem, *ac propterea moventur* (peccatores) *adversus peccatum per odium aliquod, et detestationem* (3)

VI. *Poenitentia*, qua impius vult satisfacere divinae justitiae, et peccatum destruere, id enim sponte proficiscitur ex amore justitiae, ac peccati detestatione.

VII. *Propositum Sacramenti suscipiendi, novam inchoandi vitam, divinaque mandata servandi* (4).

Scholion.

I. Quamvis opera bona modo dicta, necesse sit, ut antevertant justificationem, haec tamen non desinit propterea esse gratuitum Dei beneficium, nam illae dispositiones veluti a primo fonte dimanant, a praeveniente scilicet Dei gratia, quae nemini debetur: praeclare D. Augustinus; *Opera sunt ex fide, non ex operibus fides: ab illo sunt nobis opera justitiae, a quo est fides* (5).

Scholion

II. Quae hactenus edisseruimus, dicta intelligantur de justificatione adulti; cum ex universali Ecclesiae tra-

(1) *Trid. Synod. ibidem,*
(2) *Trid. ibidem.*
(3) *Trid. ibid.*
(4) *Trid. ibidem.*
(5) *Lib. de Gratia, et Lib. Arb. Cap. 7.*

ditione fidei dogma sit, nullam requiri in parvulis dispositionem, ut justificationem accipiant (1), sicut enim parvulis nocuit inobedientia Adami, ita proderit per baptisma obedientia Christi.

P R O P. VI.

Fides ad justificationem requisita, non est fides qua quisque certo credit sibi per Christum remissa esse peccata, sed est fides Catholica, qua creduntur ea, quae sunt a Deo revelata.

HAnc fidei veritatem expresse docuit Christus sic alloquens Apostolos: *Praedicate Evangelium omni Creaturae; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Hic sane enunciatur fides necessaria ad salutem, ac proinde etiam ad justificationem; sed haec, Christo teste, non est certa persuasio, quod nobis remissa sint peccata. sed ea est, qua assentimur Evangelio, idest iis, quae a Deo revelata sunt nobis Ergo etc. Hinc Tridentina Synodus decrevit: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis per Christum . . . anathema sit* (3).

P R O P. I.

Sola tamen fides non justificat:

JAcobus enim Apostolus conceptis verbis hanc veritatem inculcat, inquiens: *Videtis, quoniam ex operibus Justificatur homo, et non ex fide tantum*; jure igitur Trid. Synodus anathemate percussit eum, *qui dixerit sola fide hominem justificari* (4).

(1) *Trid. Sess. 7. Can. 13.*
(2) *Marci Cap. ult.*
(3) *Sess. 6. Can. 12.*
(4) *Sess. 6. Can. 9.*

SCHOLION.

Sacra Scriptura (1) ideo frequenter justificationem adscribit fidei, quia ipsa est *humanae salutis initium*, *et omnis justitiae radix*, *et fundamentum*, ut loquuntur PP. Tridentini (2); *ipsa enim* (fides) *prima datur*, *ex qua impetrantur cetera* (3).

De merito justorum operum, altero justificationis effectu.

Q. Quid est meritum, et quotuplex?

R. Meritum est quodlibet opus mercede, et praemio dignum: duplex distinguitur, alterum *de condigno*, alterum *de congruo*: illud dicitur, cui merces absque injustitia denegari nequit; hoc vero cui, absolute loquendo, merces potest non rependi sine injuria.

PROP. VIII.

Fide certum est Justorum operibus verum inesse meritum.

In Symbolo profitemur (4) Christum, cui Pater dedit judicium facere, *quia filius hominis est* (5) post consummationem saeculorum, et post completum numerum praedestinatorum, e caelis, quo post suam resurrectionem conscendit, esse descensurum, ut judicet de Angelis, et de hominibus; atqui *Si non sunt merita, quomodo Deus judicabit hunc mundum?* ut advertit D. Augustinus (6). Ergo etc. Hujusmodi Catholicae doctrinae articulus innititur Scripturarum oraculis, in quibus Deus dicitur redditurus mercedem bonis justorum ope-

(1) *Ad Rom. Cap.* 10. *Act. Apost. Cap.* 13.
(2) *Sess.* 6. *Cap.* 8.
(3) *Ita D. Augustinus Lib. de Praed. SS. Cap.* 7.
(4) *His verbis*, inde venturus est judicare vivos, et mortuos.
(5) *Joan. Cap.* 5.
(6) *Epistola* 214.

ribus, *Merces vestra* (1), inquit Christus alloquens justos, *copiosa est in coelis*; merces autem sine merito intelligi nequit, immo illud supponit; hinc Trid. Synodus, sic rem definivit, *Si quis dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita . . . . anathema sit* (2).

SCHOLION.

Merita justorum nihil injuriae inferunt meritis Christi, cum eius infinitum meritum sit nobis merendi principium.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad meritum.

R. I. Ex parte hominis requiritur I. Ut sit *viator*; elapsa enim hac praesenti vita, nullus datur merito locus, ut inquit Christus: *Venit nox*; idest mors, *quando nemo poterit operari* (3). II. Ut sit *Justus*; nam vita aeterna tanquam haereditas promittitur filiis, *Si filii, et heredes* (4); sed justi tantum sunt filii Dei, ut supra diximus. Ergo etc.

R. II. Ex parte actus I. Ut sit liber a necessitate, ut alias ostendimus II. Ut sit supernaturalis, idest ex gratia actuali, secus non esset actus undequaque bonus; etenim. *Si defuerit Dei adjutorium; nihil boni agere poterit homo* (5).

R. III. Ex parte Dei requiritur mercedis promissio, ut docet Concilium Tridentinum (6): *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda*; nam Deus ope bonorum operum fit nobis debitor, ut monet D. Augustinus: *Non a nobis aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo* (7).

(1) *Matth. Cap.* 5.
(2) *Sess.* 6. *Can.* 32.
(3) *Joan. Cap.* 9.
(4) *Ad Rom. Cap.* 8.
(5) *Serm.* 157.
(6) *Sess.* 6. *Cap.* 16.
(7) *Augustinus Serm.* 158.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur hominem non posse de condigno mereri gratiam habitualem, tum quia fides docet nos gratis justificari (1), tum quia cujuscumque meriti radix est gratia habitualis, et principium meriti nequit sub meritum cadere: non diffitemur tamen posse mereri *de congruo*, quia actus disponentes ad justificationem sunt boni, supernaturales, ac Deo grati, adeoque ex quadam *congruitate* possunt excitare Deum ad impertiendam habitualem gratiam. Qui vero jam justificatus est, potest *de condigno* mereri suae justitiae incrementum juxta Concil. Tridentini verba: *Si quis dixerit . . . ipsum justificatum bonis operibus . . . non vere mereri augumentum gratiae . . . anathema sit* (2); nam hae voces *vere mereri* indicant verum, et proprium meritum idest de condigno. Advertendum denique perseverantiam finalem, non posse *de condigno* mereri, cum nulla extet in Scripturis divina promissio de conferenda perseverantia bonis operibus justorum, qui potius admonentur, ut cum timore suam salutem operentur (3): posse tamen *de congruo* mereri testatur D. Augustinus illis verbis. *Hoc donum suppliciter emereri potest* (4).

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

CAPUT I.

De Fide.

Hic agemus de Fidei natura, ac divisione, de ejus necessitate ac subjecto: quibus absolutis, aliqua de Fi–

(1) *Trid. Sess.* 6. *Cap.* 8.
(2) *Sess.* 6. *Can.* 32.
(3) *Ad Philipp. Cap.* 2.
(4) *Lib. de Dono Persev. Cap.* 6.

dei objecto attingemus; atque inde perbrevem Apostolici Symboli expositionem adnectemus. Quae porro Fidei opponuntur vitia adnotare consulto praetermisimus, cum de iis in theologia morali abunde disseratur.

§. I.

De Natura fidei, eiusque divisione

Q. Quomodo definitur Fides?

R. A Theologis vulgo definitur *Virtus theologica, divinitus infusa, qua firmiter assentimur omnibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, ob auctoritatem Dei revelantis.*

PROPOSITIO

Explicatur simul, et ostenditur tradita definitio.

Dicitur I. *Virtus divinitus infusa*, quia ne levissimum quidem fidei initium haberi potest sine Dei gratia per Christum, ut alias ostendimus. II. *Qua firmiter assentimur*, quia firmior assensus esse nequit, quam qui primae, ac summae veritati Dei revelantis innititur. III. *Omnibus a Deo revelatis*, haec verba indicant objectum materiale Fidei, quod complectitur omnes veritates a Deo revelatas. IV. *Ab Ecclesia propositis*; nulla enim alia ratione nobis aperitur divina revelatio, nisi per Ecclesiam. V. *Propter auctoritatem Dei revelatis*; Fides namque ultimo resolvitur in divinam revelationem, quae est causa assensus, et sane non ob aliam rationem firmiter assentimur articulis Fidei, quos nobis proponit Ecclesia credendos, nisi quia ea revelavit Deus, qui est summa veritas, quae nec falli, nec fallere potest.

Q. Quomodo dividitur fides.

R. Fides dividitur in *actualem*, et *habitualem*: illa est actualis assensus per gratiam praestitus revelatis: haec vero est permanens in anima affectio, qua dicimur fideles, licet non semper actus fidei eliciamus: item alia

dicitur *explicita*, qua speciali alicui articulo e. g. Incarnationi Divini Verbi assentimur: alia *implicita*, qua generatim omnibus articulis a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis assensum praebemus; rursus fides sine caritate dicitur *informis*, quia caritas, forma est, et perfectio aliarum virtutum; si vero caritati conjuncta sit, vocatur fides *formata*. Porro si fides, per justificationem cum Spe, et Caritate infunditur, ut in Baptismo, dicitur *infusa*: si repetitis actibus roboratur, dicitur *acquisita*; denique si per dilectionem operatur, idest, si mandatorum observantiae adjuncta sit, *viva est*, sine operibus *mortua* est fides.

§. II.

De necessitate actus Fidei.

Q. QUotuplex distinguitur actus Fidei?

R. Duplex, alius *internus*, qui est firmus mentis assensus veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis: alius vero *externus*, quo fidem profitemur ore, vel opere, vel alio quolibet signo.

PROP. I.

Internus actus fidei adultis omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem.

ID absolute docet Apostolus ad Hebraeos scribens (1): *Sine fide impossibile est placere Deo*: hinc nullus in adultis justificationi locus esse potest sine actuali fide, *quae humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis est* (2). Ergo etc.

---

(1) *Cap.* 11.
(2) *Concil. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 8.

Prop. II.

Ante promulgationem Evangelii, et quovis tempore necessaria fuit Fides in Christum Mediatorem, sed non explicita.

ETenim divina oracula aperte pronunciant sine Christo neminem salvari posse: *Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (1). Hoc Catholicae doctrinae caput mirifice explicat D. Augustinus, his verbis: *Ipsum* (Christum) *antiqui Sancti venturum in revelatione spiritus cognoverunt, et prophetaverunt, et sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit* (2). ut autem ipse sanctus Doctor indicaret illorum fidem in Christum, non fuisse explicitam, ait eam fidem *suo tempore fuisse revelandam* (3); siquidem in veteri testamento, legalium involucris tegebantur, quae modo sunt revelata mysteria.

Prop. III.

In nova lege, seu post promulgationem Evangelii necessaria est ad salutem fides explicita Mysterii Trinitatis, et Incarnationis.

CHristus Apostolis sic praecepit: *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4) . . . *qui vero non crediderit condemnabitur*, atqui in Evangelio inculcatur fides explicita Incarnationis, et Trinitatis, ut cuique per se patet Evangelium perlegenti. Ergo etc.

---

(1) *Act. Cap.* 4.
(2) *Lib. de Catechi. Rudib. Cap.* 17.
(3) *Epistola* 187. *ad Darda.*
(4) *Marci Cap.* 16.

Prop. IV.

Haec fides tum ad salutem. tum ad justificationem requiritur.

ID expresse monet Apostolus (1), inquiens: *Non justificatur homo, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi*; fides autem in Christum secumfert fidem Trinitatis, ut in hanc rem advertit D. Thomas (2), quandoquidem qui in Christum credit, hoc profitetur, *quod Filius Dei carnem assumpserit, et quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit*; en Trinitatis fidem.

Prop. V.

Tenemur aliquando Fidem exterius profiteri.

HUjusmodi praeceptum tradidit Apostolus, cum inquit: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (3); hinc Augustinus ait: *Fides officium a nobis exigit, et cordis, et linguae* (4): Praeceptum porro fidei profitendae urget, *quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus, et etiam utilitas proximo impendenda* (5); id fusius explicant moralis doctrinae Tractatores.

Corollaria

I. Quamobrem nunquam licet fidem exterius negare, ut monet Christus: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* (6).

(1) *Ad Galat. Cap.* 2.
(2) 2. 2. *Quaest.* 2. *art.* 8.
(3) *Ad Rom. Cap.* 10.
(4) *De Fide, et Symb.*
(5) *D. Thomas* 2. 2. *Quaest.* 3. *art.* 2.
(6) *Matth. Cap.* 10.

II. Quin imo, ne licitum quidem est fidem negare ex simulatione, hoc est, eam exterius repudiare, dum in corde retinemus, etiamsi ingruat periculum mortis acerbissimae; id enim esset gravissimum mendacium Deo maxime injuriosum: nam Christus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus.... hunc filius hominis serubescet* (1).

§. III.

De Fidei Subjecto.

PROP. I.

Remanet Fides in homine fideli etiam impio.

APostolus (2) fidem a caritate apertissime secernit, igitur amissa per peccatum caritate, non inde sequitur et amitti fidem: hanc veritatem Tridentini PP. credendam nobis proposuerunt, his verbis: *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul, et fidem semper amitti . . . . . anathema sit* (3). Quapropter Romani PP. jure damnarunt hanc prop.: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides* (4).

SCHOLION

Ex allata definitione Tridentini Concilii colligitur dari peccatum, per quod amittatur etiam fides: Illud autem non est, nisi haeresis: haeretici enim non Dei revelantis auctoritatem, sed humanam sequuntur, ut advertit D. Augustinus (5), cum inquit: *Qui in Evangelio, quod vultis, creditis, vobis potius, quam Evangelio credi-*

(1) *Lucae Cap.* 9.
(2) *I. Ad Corinth. Cap.* 13.
(3) *Trid. Sess.* 6. *Can.* 28.
(4) *Prop.* 12. *damn. ab Alexand. VIII.*
(5) *Lib. contra Faustum Cap.* 17.

tis; inde concludit D. Thomas in haeretico reliquam non esse fidem, quia *Quicumque non inhaeret doctrinae Ecclesiae, sicut divinae regulae, non habet habitum Fidei* (1).

P r o p. II.

Fides non est in iis, qui sunt in termino constituti.

QUi in termino jam sunt, vel beatitudine fruuntur, et omnia intuentur., *non per fidem*, *sed per speciem*, *et facie ad faciem*: vel in reproborum numero existunt, et hi omnium supernaturalium donorum ornatu despoliantur, excepto charactere, quo ab infidelibus internoscuntur. Ergo etc.

§. IV.

De Fidei Objecto.

Q. QUid, et quotuplex est objectum fidei?

R. Objectum fidei duplex est, *materiale*, et *formale*, illud dicitur omnis veritas a Deo revelata, quae si obscura sit, ut *Mysterium Trinitatis*, est fidei objectum necessario, et per se; si vero sit evidens, ut *Existentia Dei*, est objectum fidei per accidens: *formale*, vero est summa Dei veracitas, idest Deus ipse, quatenus fallere, et falli nequit.

P r o p o s i t i o U n i c a.

Nulla fidei articulis facta est nova accessio a Christi, et Apostolorum tempore.

MEdium, per quod innotescunt veritates, quae nobis credendae proponuntur, est divina revelatio: jamvero a Christo, et Apostolis nulla Ecclesiae facta est nova revelatio, juxta illud Joannis: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (2). Er-

(1) 2. 2. *Quaest.* 5.
(2) *Cap.* 13.

ergo quaecumque credit Ecclesia, et usque ad consummationem saeculi creditura est, Apostolis revelata sunt, quaeque in Scriptura, ac Traditione continentur: licet vero fidei articuli non creverint, eorum tamen plurimos apertius, ac distinctius exposuit Ecclesia, occasione scilicet diversarum haeresum, quae variis temporibus prodierunt.

Q. Ubinam continentur praecipui Fidei nostrae articuli?

R. In symbolo, quod definiri vulgo solet, *Summa: quae praecipuos fidei articulos explicite complectitur*. quatuor praecipue enumerantur fidei Symbola, nimirum Apostolorum, Nicaenum, Constantinopolitanum, et Athanasianum: nos unum hic Apostolorum Symbolum breviter exponendum suscipimus, quod fide catholica certum est ab Apostolis conditum hoc sensu, quod doctrinam, quae in eo continetur, Ecclesiis, quibus ipsi praedicarunt, tum scripto, tum voce, tradiderint: supervacaneum esset reliqua jam dicta Symbola enucleare; cum haec eandem fidei doctrinam, licet paullo fusius traditam complectantur, quam in Apostolorum Symbolo profitemur; perbrevem igitur hic subjiciemus Apostolici Symboli expositionem, ea mente, ut quae a nobis hactenus evoluta, atque ostensa sunt fidei dogmata, uno veluti obtutu prospiciantur.

De Apostolici Symboli expositione.

Articulus I. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem caeli, et terrae: his verbis nos indubitanter, ac certissime corde credimus, et exterius profitemus Deum Patrem, Primam ratione originis, Trinitatis personam esse omnipotentem, ac coelum, terramque, et omnia, sive spiritualia sint, sive corporea, quae coeli, ac terrae ambitu comprehenduntur, ex nihilo condidisse; atque insuper ea omnia jugiter conservare, atque ad fines sibi debitos movere.

Praeterea hoc Symboli articulo tria maxime profitemur I. Nos *credere Deo*, idest firmissimum assensum

ipsi praebere sive in Scripturis, sive in Traditione per Ecclesiam nobis facta aliqua, aut dogmata revelanti. II. Nos *credere Deum*, hoc est eum existere unum in natura, ac trinum in personis, ipsumque facere posse, quidquid voluerit. III. Nos *credere in Deum*, nimirum ponere in eo spem nostram, atque in eum amore ferri tanquam in summum bonum, atque in finem ultimum rationabilium creaturarum.

Articulus II. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum: hoc altero articulo profitemur I. Existere in Deo Secundam personam, in qua, sicut et in Prima spem nostram reponimus; haec autem persona dicitur *Filius*, qui ab aeterno Patre procedit per generationem, idest per communicationem ejusdem numero naturae, quae est in Patre, a quo generatur: dicitur porro Filius *Unicus*, idest naturalis, non adoptivus, qui proinde aeque ac Pater Deus est: rursus iste Filius, cum in plenitudine temporis sibi assumpserit naturam humanam in unitatem personae, dicitur *Jesus*, idest humani generis Salvator: dicitur etiam Christus, idest *unctus* amplissima virtute Spiritus Sancti in *Sacerdotem*, qui, ut homo est, apud Patrem interpellat pro nobis, *In prophetam*, qui nobis Dei voluntatem annuntiat, in *Regem* qui toti Ecclesiae praeest, quam suo sanguine acquisivit.

Profitemur II. Christum esse *Dominum ingenita potestate non concessa*, conditorem universorum, per quem facta sunt saecula (1), cum ratione Personae, cui humana natura est substantialiter conjuncta, easdem omnino habeat, quae in Patre sunt, perfectiones: tum etiam esse *Dominum nostrum* jure redemptionis, cum principem hujus mundi, idest Diabolum, cui per peccatum eramus obnoxii, foras ejecerit, ac spolia ejus diripuerit, redimendo per proprium sanguinem, universum hominum genus.

Articulus III. Qui Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: his vocibus profitemur I. Chri-

(1) *Ut iniquit Rufinus.*

sti conceptionem divinitus esse peractam, idest Christi Corpus non humana, sed Spiritus Sancti virtute efformatum esse inter secreta uteri virginalis II. Mariam ortam ex semine Abrahae vere esse Deiparam, idest Dei genitricem, quia ex ejus sanguine formatum est Christi Corpus, cui eodem temporis momento copulata est anima rationalis, et utrique, idest animae, et corpori unita fuit hypostatice Divinitas: adeo quidem, ut nullam passa fuerit Maria virginitatis jacturam, neque in conceptione, neque in partu; cum Christus ex sinu ejus prodierit, non secus atque sepulchro egressus fuit, non revoluto lapide: hinc excelsa Christi nativitas, quia *de Virgine Virgo concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit.* (1)

Articulus IV. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus, et sepultus. Hac articuli sententia profitemur I. Jesum Christum pertulisse flagella, ludibria, et cruciatus, ut ex Evangelica historia, adeoque verum doloris sensum percepisse, eodem Christo testante: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; atque haec gesta fuisse, Pilato Judeam procurante.

II. Christum fuisse Cruci suffixum, in eaque Spiritum emisisse, idest ejus animam a corpore fuisse revera separatam, adeo tamen, ut Verbum semper hypostatice copulatum manserit utrique, idest animae, et corpori; nam licet constet Christi Corpus sepulturae traditum, ejusque animam ad inferos descendisse, ut insequenti articulo profitemur; tamen in hoc simbolo confitemur Filium Dei esse sepultum, ac ad inferos descendisse, ratione nimirum unionis hypostaticae, qua nempe Verbum etiam post Christi mortem nunquam sejunctum est a corpore in sepulcro, et ab anima, quae ad inferos descendit.

III. Corpus Christi sepultum fuisse, ut inde ostendatur vera Christi caro, ejusque mors non perfunctoria (2).

---

(1) *D. August. in Serm. de Symbolo ad Catechumenos.*

(2) *Chrysologus Serm.* 6.

Quae in hoc articulo profitemur, licet in humanam Christi naturam proprie cadant, ipsi tamen Deo etiam tribuuntur ob idiomatum communicationem, de qua alibi sermo institutus est.

Articulus V. Descendit ad Inferos: tertia die resurrexit a mortuis: prioribus verbis, *descendit ad inferos*, profitemur animam Christi non virtute tantum, sed re, et praesentia ad inferos descendisse, idest ad receptaculum illud, in quo animae Sanctorum sine ullo doloris sensu, atque beata redemptionis spe suffultae, ante Christi mortem excipiebantur: eo igitur credimus descendisse animam Christi, Verbo hypostatice conjunctam, ut pios illos viros e carcere liberatos secum adduceret in coelum, utque eorum animas immensa laetitia impleret, atque optatissimam beatitatem, quae in Dei visione sita est, impertiret; quo facto comprobavit Christus, quod in Cruce pendens Latroni promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso* (1).

Tertia die resurrexit a mortuis: hac altera articuli parte profitemur credere, Christum Dominum tertio a morte die, qui fuit Dominicus, summo mane resurrexisse, idest illius animam corpori iterum conjunctam esse, idque factum non aliena virtute, ut in Lazaro redivivo, sed sua vi, et efficientia, nimirum Divinitate hypostatice conjuncta animae, et corpori Christi.

Articulus VI. Ascendit ad Coelos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: hac loquendi forma testamur credere Christum, ut homo est, completo redemptionis nostrae mysterio, anima, et corpore in Coelum ascendisse; nam uti Deus sua immensitate omnia loca implens, nunquam coelo abfuit; rursus absque ulla dubitatione credimus Christum in coelos ascendisse, non solum virtute Divinitatis sed etiam vi suae humanitatis, cum anima ejus tanta virtute praedita fuerit, ut gloriosum corpus ad arbitrium movere potuerit: demum eo Christum

(1) *Lucae Cap.* 23.

ascendisse testamur, cum ut comprobaret regnum suum de hoc mundo non esse, tum vero maxime, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis (1), et apud Patrem advocati officio fungatur (2).

Sedet ad dexteram Dei Patris etc. hac tropica dicendi ratione testamur Christum, ut persona est, aequalem esse Deo Patri; nam Angelorum nemini, sed uni Christo a Deo Patre dictum est: *Sede a dextris meis* (3); quibus praeterea verbis profitemur Christum etiam, ut hominem, a Deo Patre accepisse firmam, ac stabilem possessionem gloriae, et summae potestatis, quae adeo propria, ac singularis Christi Domini est, ut cuivis alteri creatae naturae convenire nequeat.

Articulus VII. Inde venturus est Judicare vivos, et mortuos. Hoc articulo profitemur Christum Dominum in consummatione saeculi ad judicandos omnes homines venturum esse: *Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum* (4) II. Testamur Christo, ut Deo, et ut homini convenire potestatem judicandi genus hominum: nam Pater *potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est* (5): eidem porro, ut Deus est, eadem inest potestas, cum sit ipsamet aeterna Patris sapientia: proinde licet judicandi potestas omnibus divinae Trinitatis Personis communis sit; Christus tamen *constitutus est Judex vivorum, et mortuorum* (6), ut quatenus homo exterius proferat sententiam, a se aliisque divinis personis latam, omnesque *vivi*, ac *mortui*, idest justi, ac peccatores (7) supremum hoc judicium sensibus percipiant.

---

(1) *Ad Heb. Cap.* 9.
(2) *I. Joan. Cap.* 2.
(3) *Ad Heb. Cap.* 1.
(4) 2. *Ad Corinth. Cap.* 5. *et ad Rom. Cap.* 14.
(5) *Joan. Cap.* 5. *et Augustinus in Joan. Tract.* 21.
(6) *Actorum Cap.* 10.
(7) *Ita Explicat D. Augustinus de Symb. ad Catechum. Cap.* 8.

Q. Quo poenarum genere afficiuntur impii ex hac vita migrantes?

R. Eorum animae in locum futurae miseriae detruduntur, qui vulgo a Christifidelibus vocatur Infernus, ibique duplici poena in primis afficientur, *Damni* nimirum, et *Sensus*, idest aeterna privatione visionis Dei, et atrocissima exustione ignis aeterni. Hoc doctrinae caput nonnullis subjectis propositionibus quam brevissime expediemus.

PROP. I.

Æterna privatio divinae visionis, poena damni est omnium gravissima qua afficientur iniqui post hanc vitam.

CHristianorum nemo dubitat quin in Deo tanquam summo hominis bono posita sit ejus beatitudo; at sacrae litterae testantur decedentes in impietate, Deo aeternum privandos; hos enim sempiterno divortio a se abjiciendos significavit Christus formidabili ea sententia: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* (1), quibus verbis haec subdit Irenaeus (2): *Quibuscumque dixerit Dominus discedite a me maledicti . . . isti erunt semper damnati.* Igitur creatura intelligens, possessione Dei, atque omni spe illius assequendae destituta, jacebit irrequieta, perenni animi morsu, amaritudine, ac desperatione nunquam intermissa exagitabitur; quod diserte indicavit Christus ipsemet, illis verbis: *Vermis eorum non moritur* (3). Praecipuum itaque reproborum supplicium erit poena damni.

(1) *Matt. Cap* 25.
(2) *Lib.* 4. *Advers. Haereses Cap.* 28.
(3) *Marc. Cap.* 9.

Prop. II.

Aeterno igne torquentur damnati in altera vita.

Disertis verbis expositam modo propositionem designavit Christus, ea sententia: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* (1), quod et ipse Deus per Isaiam multo ante praenuntiaverat, inquiens. et *Ignis eorum non extinguetur* (2): Hinc praeclare D. Fulgentius de hoc capite doctrinae Christianae, ait: *Firmissime tene, et nullatenus dubites iniquos omnes ituros in combustionem aeternam* (3); jure igitur in Symbolo Athanasiano profitemur, et *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.*

Corollarium.

Quare Fidei dogma est Scripturis, ac Traditione proditum, aeternas fore damnatorum poenas; de his enim apertissime loquitur Christus: *Ibunt hi in supplicium aeternum* (4), idest, *supplicium aeternum quibus erit, finem procul dubio non habebit*; ita advertit D. Augustinus (5).

Scholion

Communis est Ecclesiae sententia ignem, quo torquentur damnati esse verum, et corporeum; nam Infernus, in quem damnati detruduntur, undique sacrarum litterarum appellatur *Gehenna ignis* (6), *Stagnum ignis* (7),

(1) *Matth Cap.* 25.
(2) *Isaiae Cap.* 66.
(3) *De Fide ad Petrum Cap.* 43.
(4) *Matt. Cap* 35.
(5) *Lib.* 21. *de Civ. Dei Cap.* 23.
(6) *Matth Cap.* 22.
(7) *Apocaly. Cap.* 20.

Clibanum ignis (1), ac nulla occurrit ratio, cur a proprio Scripturae verborum sensu recedere debeamus: haec adeo explorata sunt, ut Ecclesiae Patres affirmare non ambigerint, *Ignem gehennae corporeum esse* (2); prae omnibus sit D. Augustinus, qui hac super re ita disserit (3): *Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, et sulphuris dictum est, CORPOREUS ignis erit.* Haec porro doctrina licet innitatur Scripturae, ac Traditioni, et ab omnibus propugnetur Catholicis; articulus tamen fidei non est, cum non adhuc aliquo Ecclesiae, decreto comprobata sit. At, qui contrarium senserit, quamvis non sit haereticus, haeresi tamen proximus habendus est: nam qui ignem inferni corporeum esse negat, nullum admittit in inferno ignem, cum ignis incorporeus, ignis vere non fit: sed in inferno ignem esse fidei dogma est, non solum Scriptura, sed Patrum summa consensione firmatum. Igitur etc.

Scholion

Ubinam vero positus sit Inferni locus, quaestio haec est ad fidem non pertinens: pervulgata tamen apud Christianos sententia est, infernum in fundo telluris situm esse, ut ipsa loquendi ratio sacris in litteris usurpata satis ostendit; in iis enim infernus tanquam subterraneus locus describitur: et quidem Hieronymi aetate dictam modo sententiam in dubium revocabat nemo: *Infernum*, inquit ipse, *sub terra esse nemo jam ambigit* (4): neque igitur nobis de hac re licet modo dubitare.

Articulus VIII. Credo in Spiritum Sanctum: Tria hic credere profitemur I. Existere in divinis tertiam personam, per se subsistentem, a Patre, et Filio distinctam, et ab utroque tanquam ab uno principio voluntate productam, quae vocatur Spiritus Sanctus, non

(1) *Psal.* 20.
(2) *D. Gregorius Lib.* 4 *Moral. Cap.* 29.
(3) *Lib.* 21. *de Civ. Dei Cap.* 10.
(4) *In Epistolam ad Ephesios Cap.* 14.

quod aliae personae, non sint quoque Spiritus, sed quod proprio vocabulo exprimere non possumus rationem, qua Deus totum seipsum vi amoris communicat, cum nulla occurrat in creatis naturis similis productio.

II. Tertiam illam personam esse Deum, Patri ac Filio consubstantialem; nam credere in Spiritum Sanctum, significat nos in eo spem nostram collocare, ad eumque totis viribus, veluti ad ultimum finem contendere.

III. Explicitam tertiae Personae cognitionem esse necessariam necessitate medii ad salutem, cum in Patre, et Filio perinde atque in Spiritu Sancto baptizemur: ac rursus per Spiritum Sanctum vitam spiritualem in nos infundi, ac sine ejus virtute nihil prorsus aeterna vita dignum a nobis fieri posse credimus.

Articulus IX Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum Communionem: Priori parte hujus articuli credimus existere Ecclesiam, christianorum coetum a Christo institutum, per totum orbem ab Apostolis evulgatum, non invisibilem, nec privatis doctrinis occultum, sed caelestibus fidei, ac morum regulis, et splendidissimis insignibus praeditum, idest Doctrina, Sacrificio, Cultu, Sanctitate, Vetustate etc. ac rursus profitemur hujusmodi fidelium coetum extare sub uno invisibili capite Christo, et visibili ejus Vicario Romano Pontifice, et Episcopis, quos sub eodem capite R. Pontifice, Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Credimus denique praefatam Ecclesiam esse *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *et Apostolicam*, eo sensu, quo supra in tractatu de locis theologicis fuse explicavimus.

Hac posteriore articuli parte: *Sanctorum Communionem*, credere profitemur I. Quidquid donorum a Christo in Ecclesiam collatum est, commune esse omnibus fidelibus, et in primis Sacramenta, quibus veluti vinculis Christo copulamur, et quod ad eorum fructum attinet. omnibus fidelibus communia esse: II. Quidquid pie, ac sancte ab uno fidelium suscipitur, ad ceteros pertinere, illisque prodesse, idque fieri virtute carita-

tis, quae non quaerit, quae sua sunt: III. Eos, qui gravi culpa obstringuntur, licet non percipiant spiritualem fructum bonorum operum quae a piis fidelibus aguntur, plurimum tamen adjuvari ab iis, qui spiritu vivunt, ad recuperandam amissam Dei gratiam.

Articulus X. Remissionem peccatorum: hisce verbis credimus vere in Ecclesia Catholica remitti peccata, tum per baptismum, quo omnia scelera parvulis per fidem Ecclesiae, a qua offeruntur, et adultis debite dispositis dimittuntur: tum per poenitentiae Sacramentum, in quo Ecclesia utitur potestate sibi a Christo tradita, respectu fidelium adultorum, qui post baptisma gravi crimine se commacularunt, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (1), tum denique levia delicta dimitti iis, qui Dominicam orationem rite fundunt, ut apposite monet D. Augustinus: *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in baptismate, in oratione, in humilitate majoris poenitentiae* (2).

Articulus XI. Carnis resurrectionem; his vocibus nos credere testamur animam, quae per mortem a corpore sejuncta fuerit, iterum corpori e mortuis divinitus revocato, copulandam, ut ita unusquisque referat propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Praestat modo, quae hic conclusa sunt dogmata, subjectis propositionibus evolvere.

PROP. I.

Corpora mortuorum aliquando resurgent; ita docet fides.

Hoc fidei dogma manifestum est ex Scripturis: *Omnes resurgemus*, inquit D. Paullus (3) . . . *canet tuba, et mortui resurgent incorrupti*, his verbis duo adstruuntur articuli nostrae fidei, nimirum, et immortalitas animae,

(1) *Joan. Cap.* 20.
(2) *In Serm. de Symbolo ad Catechumenos.*
(3) *I. Ad Corinth. Cap.* 15.

et nostrorum corporum resurrectio; hinc apprime D. Augustinus ait: *Proprie fides est christianorum, resurrectio mortuorum: hanc in seipso . . . . Caput nostrum Christus ostendit, et exemplum fidei nobis praestitit, ut hoc sperent membra in se, quod praecessit in Capite* (1). Hanc catholicam veritatem ipsa divinae justitiae, ac sapientiae ratio suadet, quae postulat, ut corpus, quod ad bona, vel mala opera fuit animae instrumentum, ejusdem poenae, aut praemii consors fiat (2).

Prop. II.

Anima idem Corpus receptura est, quod habuit in terris.

Id fide certum est, ut Jobus in suo libro testatur, inquiens: *in Novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius*, jamvero nisi anima idem numero corpus aliquando resumeret, certe homo nec carnem, nec pellem suam, quam prius habuerat, resumeret; praeterquam quod Christi resurrectio, Apostolo teste (3), exemplar est nostrae resurrectionis; Christus autem suum corpus idem numero, quod in sepulcro jacebat, propria virtute resumpsit; ergo et nos idem numero corpus, quod hic in terris habuimus, in resurrectione recepturi sumus.

Q. Quaenam futurae sunt corporum beatorum dotes?

R. I. *Impassibilia* erunt beatorum corpora, idest nulli corruptioni obnoxia, adeoque omnis doloris expertia; *et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra* II. Splendida *claritate* fulgebunt, ut ipse Chri-

---

(1) *Serm.* 241.

(2) *Sic praeclare argumentatur Tertullianus Lib. de Resurrect. Carnis Cap.* 6.

(3) *I. Ad Corinth. Cap.* 25.

stus innuit (1): *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*; ad hanc corporum gloriam significandam, modo *ignis*, modo *stellarum* comparatione utuntur sacrae litterae (2) III. Mirabili praedita erunt *agilitate*, adeo quidem ut ad animae nutum, ab uno in alium locum licet remotissimum, sine ulla de fatigatione, brevissimo temporis spatio transferantur: *Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus* (3), ut apprime loquitur D. Augustinus: mirabilem hujusmodi dotem in corpore Christi redivivo conspicere licet. IV. Denique beatis mira erit corporum *subtilitas*; *Seminatur*, inquit Apostolus, *corpus animale, surgit corpus spirituale* (4), et quidem corpus hac in vita est animale, idest, ut cetera animalia eget cibo, potu, somno, et insuper impenetrabile est: in resurrectione vero valde erit spiritui simile, quia solutum erit necessitate cibi, potus, somni, ac praeterea tantam tenuitatem comparabit, ut et alia corpora facile pervadere poterit; cujus rei argumentum praebuit Christus redivivus, qui, clausis januis, se conspiciendum dedit Apostolis.

Scholion

Quod ad reproborum corpora spectat, illud fides docet, ea nimirum in oecumenica resurrectione futura esse immortalia, ut malis aeternum duraturis torqueantur; *Qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.*

Articulus XII. Vitam aeternam. Postremo hoc articulo credimus, homines qui ad finem usque vitae servaverint divina mandata, aeternam beatitudinem esse consecuturos.

Q. Quid est Animae beatitudo, et in quo illa sita est?

---

(1) *Apocalyp. Cap.* 21.
(2) *Sapientiae Cap.* 3. *Daniel. Cap.* 12.
(3) *Cap. ultimo de Civ. Dei.*
(4) *I. Ad Corint. Cap.* 15.

R. Beatitudo est felicissimus ille animae status, qui eam explet omnino; illa vero in uno Deo sita est, qui cum sit summa bonitas, explere prorsus potest animae facultates, intellectum nempe, et voluntatem; hinc D. Augustinus merito inquit: *Non facit beatum hominem, nisi Deus, qui fecit hominem* (1).

Q. Quibus fruetur dotibus anima; quae dictam modo beatitatem consequetur?

R. A beatitudine semel adepta nunquam excidet, nec ullo modo peccare poterit: *Tunc*, enim, *plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas*, ait D. Augustinus (2), juxta illud Christi sic Apostolos alloquentis, *et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (3): et sane si metus amittendae felicitatis Sanctos afficeret, nequaquam beati, sed essent summe miseri.

Porro beatorum animae Deum necessario amant, eique immutabiliter inhaerent; Ergo nullo modo ab eo se se avertere possunt, nec proinde peccare poterunt: et certe cuinam rei inhiare poterit voluntas, quam explevit, et exhausit intuitiva Dei visio (4)?

CAP. II.

De Virtute Spei.

Hic levissime attingemus Spei essentiam, objectum, ejusque subjectum, necessitatem, ac proprietates.

§ I.

De Essentia, et Objecto Spei.

Q. Quomodo Spes recte definitur?

R. Spes dicitur, *Virtus, qua certa cum fidu-*

(1) *Epistola* 155.
(2) *Lib.* 22. *de Civ. Dei Cap.* 30.
(3) *Joan. Cap.* 10.
(4) *De intuitiva Dei visione alibi sermo habitus est.*

sia aeternam beatitudinem, *Dei auxilio comparandam*, *expectamus*.

Q. Quotuplex est Spei objectum?

R. Duplex, *materiale* nimirum, et *formale*: illud est res ipsa, quae speratur: hoc vero dicitur motivum illud, propter quod aliquid speratur: rursus objectum *materiale* Spei, aliud est *primarium*, aliud vero *secundarium*: primum, est Deus ipse, qui primario, et per se a nobis virtute spei informatis, expectatur: alterum vero sunt media, quibus Dei possessio acquiri potest, uti sunt gratia, peccatorum remissio, et finalis perseverantia, quae nos ad Deum perducunt Porro objectum *formale quod* Spei, est Dei bonitas, sive consideretur in seipsa, sive consideretur ut objectum, in quo posita est creaturae rationalis beatitudo, quia sub utroque respectu Deum nos possessuros expectamus, ut ait Augustinus (1): *Sic amare debes*, *ut ipsum pro mercede desiderare non desinas*; objectum denique *formale quo* est promissio divina; nam idcirco nos beatitudinem cum fiducia expectamus, quia Deum illam promisit iis, qui ad finem usque in justitia perseveraverint.

§. II.

De Spei Subjecto.

P R O P. I.

Spes non reperitur in Beatis.

Objectum Spei est essentialiter bonum absens, et arduum, ut inquit Apostolus: *Quod videt quis*, *quid sperat* (2)? Atqui hujusmodi non est Deus respectu beatorum, qui intuitiva visione eum perfecte possident. Ergo etc.

S c h o l i o n.

Ne respectu quidem resurrectionis corporum, animae beatorum spem habent; illa enim licet sit bonum

---

(1) *In Psal.* 134.
(2) *Ad Rom. Cap.* 8.

arduum, et impossibile relate ad vires naturales; hujusmodi tamen non habetur ratione divinae omnipotentiae, de qua beati omnem securitatem habent.

P r o p. II.

Spes non est in Damnatis.

Quia isti certi sunt, se perpetuis suppliciis per decretum irrevocabile addictos esse; ergo omni prorsus spe destituentur, juxta illud: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* (1).

P r o p. III.

Spes non existit in Haereticis.

Id enim, quo spei virtus innititur sunt merita; sed haeretici quamdiu haeresi adhaerebunt, aeternam beatitatem mereri nequeunt; gratia namque justificans, quae meritorum radix est, consistere nequit cum affectu ad haeresim. Ergo etc.

P r o p. IV.

Virtus Spei est in homine Catholico, qui jacet in statu gravis culpae.

Nam Concilium Tridentinum docet, impium etiam per actum Spei ad justificationem disponi, inquit enim: *Disponuntur autem, dum excitati divina gratia, et adjuti . . . . in spem eriguntur fidentes Deum propter Christum propitium fore* (2). Hinc jure Ecclesia proscripsit prop. illam: *Non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*, id est amor dominans, ut recte exponit Fulgentius Belelli.

(1) *Proverb. Cap.* 11.
(2) *Sess.* 6. *Cap.* 6.

P r o p. V.

Spes reperitur in omnibus justis viatoribus, quantumcumque supponantur perfecta caritate praediti.

NAm illud Christi praeceptum: *Sic orabitis ... Adveniat regnum tuum*, spectat omnes omnino fideles licet justos, ut apposite monet S. Cyprianus: *Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque ut in eo regnare mereamur* (1). Hinc jure ab Innoc. XII. damnata est haec prop.: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura . . . qua non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

P r o p. VI.

Spes datur in Animabus, quae igne purgatorio expiantur.

NAm illae etsi, ut alibi dicemus, obtinendae beatitudinis habeant securitatem, haec tamen Spem in ipsis non extinguit, cum beatitudo adhuc respectu earum sit absens, et futura; immo cum non dum fruantur intuitiva Dei visione, reliqua est in illis fides, quae Spei basis est.

§. III.

De Spei Necessitate.

P r o p o s i t i o U n i c a.

Actus spei ad justificationem necessarius est necessitate medii ad salutem, et certis quibusdam temporibus est etiam necessarius necessitate praecepti.

NAm Concilium Trident. inter actus omnino requisitos in adultis ad impetrandam justificationem, recenset

(1) *Lib. de Orat. Domin.*

actum Spei, inquiens: *Quo peccatores in spem eriguntur fidentes sibi Deum propter Christum propitium fore* (1). Ergo etc.

Porro Spei praeceptum in Scripturis millies hominibus injungitur: *Sperate in Domino* (2) et alibi: *Sperate in eo omnis congregatio populi etc.* (3). Atqui praecepta non de habitibus, sed de actibus virtutum dantur. Ergo actus spei etc.

Quo autem tempore in primis urgeat Spei praeceptum, consulendae sunt Morales Institutiones.

IV.

De Spei Proprietatibus.

PROPOSITIO UNICA.

Spes debet esse certa.

AB Apostolo enim spes Christiana appellatur animae anchora: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam* (4). Hinc Concil. Trid. mandat, ut *firmissimam* spem in Dei auxilio ponamus (5). Ergo etc.

SCOLION.

Cum aeternae felicitatis possessio ab ea conditione pendeat, si mandata Dei ad finem usque servaverimus, cumque de implenda hac conditione absolute certi non simus, merito Apostolus nos monuit: *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini* (6).

Q. Undenam petenda est Spei certitudo?

---

(1) *Sess.* 6. *Cap.* 6.
(2) *Psal.* 4.
(3) *Psal.* 65.
(4) *Ad Heb. Cap.* 6.
(5) *Sess.* 6. *Cap.* 13.
(6) *Ad Philip. Cap.* 2.

R. *Remote* ex Dei Omnipotentia, ejusque fidelitate in servandis promissis: *proxime* vero ex meritis per auxilium gratiae comparatis, aut comparandis.

CAP. III.

De Virtute Caritatis.

UT recta methodus servetur in explicanda caritatis virtute: tria dumtaxat expendemus, et I. De natura, et objecto caritatis. II. De subjecto. III. De ejusdem proprietatibus sermonem instit[illegible]mus. Consulto praetermisimus, quae de caritatis officiis, vitiisque ei oppositis disserunt Theologi; cum haec satis per se quisque haurire poterit ex Moralibus Institutionibus.

§. I.

De Natura, et Objecto Caritatis.

Q. QUomodo definitur Caritas, quatenus est virtus theologica?

R. Est *Virtus, qua Deus propter se diligitur et qua creatura rationalis seipsam, et proximum propter Deum diligit*; multiplex porro ea est: *habitualis* enim alia alia, *actualis* distinguitur; rursus *in infusam* dividitur et *acquisitam*; hae caritatis divisiones mutuam lucem recipiunt ex iis, quae supra de Fidei divisione diximus, illud vero hic accurate animadvertendum est, caritatem scilicet dispesci in *perfectam* et *imperfectam*: illa est, qua Deus *intense*, idest cum vehementi ardore diligitur, ut loquitur Concil. Tridentinum (1), quaeque ab Augustino vocatur *magna*, et *robusta* caritas (2); haec vero ea dicitur, qua Deus, aut non diligitur super omnia, aut si super omnia diligatur, in gradu tamen est valdea

---

(1) *Sess.* 14. *Cap*, 4.
(2) *De Gratia*, *et Lib. Arbitr. Cap.* 17.

remisso, hoc est, non est acris, vehemens, et intensa, ut advertit Cathechismus Rom.; idcirco appellatur ab eodem Augustino *adhuc parva*, *et invalida* (1).

PROP. I.

Deus*, *nos ipsi*, *et proximus constituunt objectum materiale caritatis.

Deum enim, nos ipsos, et proximum diligere jubemur; etenim D. Augustinus sic de caritatis objecto (2) loquitur; *Cum ergo quatuor sint diligenda*, *unum quod supra nos est*, h. e. Deus, *alterum quod nos sumus* anima nostra: *tertium quod juxta nos est*, h. e anima proximi, *quartum quod infra nos est*, h. e. corpus nostrum, et proximi; inde sequitur. Deum, nos ipsos, et proximum materiale objectum caritatis constituere.

PROP. II.

Objectum formale caritatis est divina bonitas*, *sive consideretur*, *ut est in seipsa*; *sive ut est bonum nobis conveniens.

Nam divina bonitas est perfectio, quam in Deo spectat caritas: haec enim actus voluntatis est; sed actus voluntatis nihil aliud in objecto, quam bonum attingit: divina vero bonitas sive consideretur in seipsa, sive ut est objectum nostrae beatitudinis, semper est summe amabilis, modo abstrahatur ab *illius possessione*, vel *privatione*. Ergo etc.

---

(1) *Ibidem.*

(2) *Lib.* 1. *de Doctr. Christ. Cap.* 23.

§. II.

De Subjecto Caritatis.

PROPOSITIO UNICA.

Infusa caritas reperitur in omnibus justis.

NAm caritas habitualis non differt a gratia justificante, ut alias dictum est; ergo illa in omnibus justis reperitur: expressius hanc veritatem docuit Trident. Synodus (1), cujus haec sunt verba: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem.* Ergo etc.

§. III.

De Propietatibus Caritatis.

INter praecipuas caritatis proprietates, duas hic maxime inspiciemus, necessitatem nempe, ejusque ordinem: reliquas vero Moralis Doctrinae Tractatoribus relinquemus.

PROP. I.

Actus caritatis ad salutem est necessarius necessitate medii; iis tamen qui ratione utuntur.

NAm vitam aeternam consequi nequimus, nisi mandata Dei servaverimus, ut inquit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2): atqui primum, et maximum mandatum illud est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ergo etc. Hinc homo sine ca-

(1) *Sess. 6. Cap. 7.*
(2) *Joan. Cap. 17.*

ritate, anathemati manebit obnoxius, teste Apostolo: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema* (1).

SCHOLION.

Actus caritatis eadem necessitate requiritur ad iustificationem obtinendam in baptismo, si modo hic ab adulto sit suscipiendus.

COROLLARIUM.

Hinc praeceptum caritatis in Deum, est praeceptum speciale a ceteris omnibus distinctum, ut definiit Innocentius XI. in hac proscripta prop. *Praeceptum amoris Dei, et proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum praeceptorum adimpletionem satisfit.*

PROP. II.

Praeceptum caritatis in Deum nonnisi imperfecte servare possumus in hac mortali vita.

Nam sensibilia objecta, quae nos circumstant aliquid semper detrahunt dilectioni, quae tota Deo debetur; ergo in patria solum perfectus erit amor in Deum, cum depulsa omni mentis caligine, ac nullis rerum illecebris, ac cupiditatis motibus distracti, Deum facie ad faciem cernentes, toto voluntatis impetu diligemus.

SCHOLION.

Pro virili tamen ad amoris perfectionem contendere debemus, cum id enixe postulet Ecclesia suis in orationibus, ut apposite monet Trid. Synodus (2): *Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia cum orat, Da nobis fidei, spei, et caritatis augumentum.*

---

(1) *I. Ad Corinth. Cap.* 16.
(2) *Sess.* 6. *Cap.* 10.

Prop. III.

Praeceptum diligendi Deum per se obligat saepius in vita.

IN libro Deuteronomii (1), postquam scriptum legitur praeceptum caritatis erga Deum, statim illud subjungitur, nimirum ut ubique, ac semper, tantum praeceptum prae oculis habeatur, ne illius memória unquam ex hominum mente excidat; quae satis ostendunt praeceptum diligendi Deum saepius in vita obligare; hinc Ecclesia hac super re merito proscripsit tres propositiones: quarum una ita se habet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Altera vero his concipitur verbis; *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis.* Tertia demum his concluditur vocibus: *Praeceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.*

Prop. IV.

Interno benevolentiae affectu tenemur proximum diligere.

NEmo sane est, qui seipsum non diligat interiori affectu; atqui Christus praecipit unumquemque teneri proximum diligere sicut seipsum: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum* (2). Ergo etc.

Scholion

Quid nomine proximi intelligatur, praeclarissime exposuit S. Leo, inquiens: *Proximi nomine, non ii tantum intelligendi sunt, qui nobis amicitia, aut propin-*

---

(1) *Cap.* 6.
(2) *Matt. Cap.* 22.

quitate iunguntur, *sed omnes prorsus homines*, *cum quibus nobis natura communis est.* (1)

P R O P. V.

Praeceptum diligendi proximi etiam ad inimicos pertinet.

SIc enim praecepit Christus: *Diligite inimicos vestros*; *benefacite iis*, *qui oderunt vos*; quibus sane verbis universa Patrum traditio docuit verum contineri praeceptum diligendi quoque inimicos; *Dominus in Evangelio*, (sic loquitur D. Augustinus) *ut inimicos diligere debeamus*, *non dedit Consilium*, *sed Praeceptum* (2). Ergo etc.

S C H O L I O N

Praefatum praeceptum tria a nobis exigit I. Ut inimicis communia exhibeamus dilectionis signa II Ut sincero corde iis offensam condonemus III. Ut iisdem, si qua premantur necessitate, opem feramus.

P R O P. VI.

In implendo Caritatis praecepto aliquis ordo servandus est.

ID expresse docet D. Augustinus, his verbis: *Ille juste*, *et sancte vivit*, *qui rerum integer aestimator est*; *ipse autem est*, *qui ordinatam dilectionem habet* (3). Cum autem ordo dilectionis desumatur ex objecti dignitate, et excellentia, adeo quidem ut majorem sibi quaerat dilectionem, quod praestantius, ac perfectius est, hinc sequitur I. Deum esse super omnia diligendum, cum

---

(1) *Serm.* 11. *de Jejunio* 10. *mensis Cap.* 2.
(2) *Serm.* 68. *de Tempore.*
(3) *Lib.* 1. *de Doctr. Christ. Cap* 27.

sit summum bonum, quo nihil excellentius, aut perfectius, ne excogitari quidem potest. II. Creaturas sanctiores prae ceteris esse diligendas, cum Deo sint proximiores, ac proinde perfectiores, et magis in se amabiles. III. Animae majorem deberi dilectionem quam corpori, cum illo sit nobilior, ac praestantior.

SCHOLION

Quae Caritatis officia sint, quaeque vitia illi opposita, non sinit hic locus exponere; adeat quisque Theologiae Moralis Auctores, qui talia persequuntur.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

Quoniam de Sacramentis in universum sumptis acturi sumus, rem totam exponere hoc ordine in animo fuit. I. De natura, et existentia Sacramentorum. II. De Auctore. III. De dignitate, ac necessitate. IV. De materia, et forma. V. De virtute, et efficacia. VI De effectibus. VII. De Ministro. VIII. De subjecto. IX. Tandem de eorumdem caeremoniis, quoad ejus fieri poterit, quam brevissime disseremus.

CAP. I.

De Natura, et Existentia Sacramentorum.

Q. Quomodo definitur Sacramentum?

R. Sacramentum, juxta definitionem traditam a Catechismo Romano (1): *Est res subjecta sensibus, quae*

(1) *Part.* 2. *Cap.* 1.

ex Dei institutione sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.

Explicatur definitio. Sacramentum itaque est signum sensibile: quia eo ducimur in cognitionem rei alterius, et quidem sacrae, ita e. g. in Baptismo, externa corporis ablutio, quae sensibus percipitur, internam animae ablutionem, et munditiem significat: illud porro signum sensibile debet esse divinitus institutum, secus non posset gratiam significare, et conferre, cum unus Deus sanctitatem. et justitiam impertire possit; hinc cum Sacramenta significandae, et efficiendae gratiae vim habeant, cuique patet nullum alium Deo in eorum institutione finem fuisse, nisi animae nostrae sanctificationem.

COROLLARIUM

Atque hinc liquet latissimum, quod intercedit discrimen inter veteris, et novae legis Sacramenta: illa enim cum infirma essent, et egena elementa (1), sanctitatem, et justitiam praesignificare quidem poterant, non autem conferre, adeoque novae legis Sacramenta ab illis antiqui foederis, non solum ritu, ac caeremoniis, quibus diversimode conferuntur, sed vi, et efficientia quam longissime inter se distant, ut definivit Trid. Synodus (2): *Si quis dixerit . . . novae legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, anathema sit.*

PROPOSITIO

Septem tantum sunt novae legis Sacramenta.

Baptismo, Confirmationi, Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctioni, Ordini, et Matrimonio veram Sacramenti rationem inesse testantur sacrae litterae, Pa-

(1) *Apostolus ad Galat. Cap. 4.*
(2) *Sess. 7. Can. 2.*

trum traditio, atque universalis Ecclesiae consensus, ut suo loco, de singulis sacramentis agentes, ostendemus: sat erit interea Tridentini definitionem hac super re exscribere: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis ... aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse vere, et proprie Sacramentum; anathema sit* (1).

C A P. II.

De Auctore Sacramentorum.

PROPOSITIO.

Christus sive mediate, sive immediate Auctor est omnium, et singulorum Sacramentorum.

NAm unus Christus infinita sua virtute potuit signis sensibilibus alligare efficientiam conferendi gratiam: hinc Apostoli, quorum maxima in Ecclesia fuit auctoritas, testantur se *Ministros* esse tantum, ac *Dispensatores* (non institutores) *mysteriorum Dei* (2); jure Concil. Tridentinum hanc fidei veritatem credendam nobis proposuit, his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit* (3).

SCHOLION.

Accurate heic advertendum Tridentinos Patres non definivisse tanquam fidei dogma omnia Sacramenta fuisse a Christo *immediate* instituta, ut monent illustriores

(1) *Ibidem Can.* 1.
(2) *I. Ad Corinth. Cap.* 4.
(3) *Sess.* 7. *Can.* 1.

Theologi (1), cum ad retundendam haereticorum pervicaciam satis fuerit Tridentino Concilio statuere omnia Sacramenta, non ab hominibus, sed a Christo Domino fuisse instituta.

C A P. III.

De Dignitate, et Necessitate Sacramentorum.

P r o p. I.

Septem novae legis Sacramenta ad salutem necessaria sunt, licet non omnia singulis sint necessaria.

DUo Sacramenta sunt necessaria *necessitate medii* iis, qui gravi culpa obstringuntur, Baptismus nimirum infidelibus, et Poenitentia lapsis post baptisma, ita quidem ut sine eis, aut actu, aut in voto susceptis, justificatio obtineri non possit: duo rursus absolute sunt necessaria Ecclesiae Corpori, Ordo scilicet, et Matrimonium; quia sine illis Ecclesia deficeret: reliqua porro Sacramenta sunt necessaria necessitate praecepti divini, pro loco, et tempore, quo praescribit Ecclesia, ut infra explicabimus: Hoc fidei dogma sic definivit Trid. Synodus: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua . . . . licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit* (2) Ergo etc.

P r o p. II.

Omnia Sacramenta non sunt omnino dignitate inter se paria.

EUcharistia enim reliquis antecellit Sacramentis, quia non solum confert gratiam digne sumentibus, sed con-

(1) *Estius, Berti, Gotti, aliique*,
(2) *Sess. 7. Can. 4.*

na ministri etc. Et I. Quod ad materiam spectat, ipsae sacrae litterae saepe commendant aquam baptismatis, manuum impositionem, oleum, panem, et vinum tanquam sensibilia quaedam elementa, quibus spiritualis effectus Sacramentorum designari possit: sed si detrahatur forma verborum, quid esset aqua in baptismate, nisi aqua? quid oleum, nisi oleum? *Accedat* ergo necesse est, *verbum ad elementum*, et sic *fit Sacramentum*, ut ait D. Augustinus (1), idest forma ad materiam accedere debet, ut constituatur Sacramentum novae legis. Ergo etc.

S c h o l i o n.

Materia in Sacramentis non semper *physice* accipienda est: ut aqua in Baptismate, panis in Eucharistia etc. sed sufficit, ut ea sit aliquid sensibile, cui si accedant verba, fit Sacramentum, ut manus impositio, actus poenitentis, mutuus consensus in Matrimonio.

P r o p. II.

Non est penes Ecclesiam immutare materiam, et formam Sacramentorum.

Sacramentorum substantia sita est in eorum materia, et forma: sed Concilium Tridentinum statuit Ecclesiam nihil auctoritatis habere in ipsam substantiam Sacramentorum: et sane docuit Ecclesiam ritus mutare posse, qui adhibentur in Sacramentorum administratione, *salva tamen illorum substantia* (2). Ergo etc.

P r o p. III.

Verba Sacramentorum proferuntur non ad nutriendam fidem, et ad Dei promissiones significandas, sed ad consecranda symbola.

Prima pars patet ex definitione Concilii Tridentini

(1) *Tract.* 80. *in Joan.*
(2) *Sess.* 21. *Cap.* 2.

sic statuentis; *Si quis dixerit haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit* (1).

Altera pars sic ostenditur: in forma e. g. Baptismi, isthaec verba *ego te baptizo*, non exprimunt gratiae promissionem, sed efficiunt actu animae sanctificationem; ergo verba Sacramentorum, non adhibentur ad significandas Dei promissiones.

Pars tertia liquet ex eo, quod sacrae litterae describunt verba Sacramentorum, vel tanquam prolata super elementa, ut in Eucharistia, vel tanquam ea, quae exhibent spiritalem effectum, ad quem elementa adhibentur, ut in Baptismo; ergo verba illa consecrant symbola, seu elementa, eaque elevant ad gratiam efficiendam.

S c h o l i o n

Quae mutatio in materia, et forma Sacramentorum, irrita reddat Sacramenta: quo item culpae genere inquinetur minister talem mutationem inducens, non patitur haec omnia explicare nostri instituti ratio; quamobrem perlegendae sunt hac super re Morales Institutiones.

C A P. V.

De Virtute, et Efficacia Sacramentorum.

Sacramenta novae legis virtutem habent impertiendi sanctitatem *ex opere operato*, ut docent Tridentini Patres; ne autem in vocibus lateat ambiguitas, animadvertendum est duplicem distingui modum producendae gratiae, nimirum *ex opere operantis, et ex opere operato.*

Gratia producitur *ex opere operantis*, quando Deus eam largitur intuitu pietatis alicujus, adeo quidem ut haec sit caussa gratiae impertiendae, non mera dispositio ad eam recipiendam; sic e. g. cum quis extra Sacramentum poenitentiae perfecta contritione afficitur,

(1) *Sess.* 6. *Can.* 5.

cujus virtute gratiam sanctificantem consequitur, eam dicitur obtinuisse *ex opere operantis*, quia Deus eam largitur ex opere poenitentis.

Confertur vero gratia *ex opere operato*, quando vi operis externi Sacramentalis rite confecti, illa impertitur, ita sane ut fides, spes, caritas, et reliquae dispositiones removeant quidem obices, qui praepediunt Sacramentorum virtutem, nequaquam vero Sacramentis efficaciam tribuunt, quam ab uno Christo hauriunt.

PROPOSITIO

Sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato.

Unanimis SS. Patrum doctrina est, Sacramenta ex virtute sibi divinitus indita, non vero ex ministrantium, aut suscipientium meritis, gratiam producere; inter ceteros audiatur D. Augustinus (1): *Non eorum meritis*, inquit, *a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur constare Baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem*: jamvero nihil aliud ab eo, quod modo expressit Augustinus, intelligunt catholici, cum ajunt, Sacramenta ex *opere operato* gratiam producere. Igitur recte Trid. Synodus praefatam veritatem sic constituit: *Si quis dixerit per ipsa novae legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam . . . anathema sit* (2).

CAP. VI.

De Sacramentorum Effectibus.

Q. Quotuplex est Sacramentorum effectus?

R. Duplex: Unus est communis omnibus Sacramen-

(1) *Lib. 4. contra Cresconium Cap.* 10.
(2) *Sess. 7. Can.* 8.

tis, ut est habitualis gratia: alter vero est proprius quibusdam Sacramentis, et est impressio characteris.

Q. Quaenam Sacramenta conferunt gratiam primo justificantem, quaenam vero incrementum ejusdem habitualis gratiae producunt?

R. Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae propter eum finem maxime a Deo sunt institnta, ut gratiam sanctificantem hominibus ea destitutis conferant: quapropter Baptismum, et Poenitentia vulgo dicuntur Sacramenta *mortuorum*, quia hominem a mortifero peccati statu, ad felicissimum justitiae statum transferunt. Reliqua vero Sacramenta, quae *vivorum* dicuntur, idcirco instituta sunt, ut gratiam justificantem jam acceptam augeant.

Q. Num singula Sacramenta specialem, ac sibi propriam gratiam conferant?

R. Affirm. Cum enim unumquodque Sacramentum ad finem aliquem specialem sit destinatum, ferre debet gratiam huic fini respondentem (1); et sane nemo nisi insipiens dixerit eandem esse sacrae Ordinationis, ac Matrimonii gratiam: Ordo namque id praestat, ut Ecclesiae Ministri rite exerceant sacras functiones; Matrimonium vero hanc imprimis gratiam praebet, ut conjuges fidem inter se mutuo servent, ad sanctitatem se se invicem erigant, filios pie foveant, aliaque matrimonii onera patienter ferant; cum porro de singulis in specie Sacramentis erit sermo, specialem quam ipsa pariunt gratiam designabimus.

Q. Cum jam dicta Sacramenta imprimant characterem, quaeritur quid sit iste character?

R: Ita definitur ab Eugenio IV. (2); *Est spirituale quoddam signum a ceteris distinctum, animae indelebiliter impressum, eoque christianus homo fit idoneus ad nonnulla, quae sunt cultus divini*; scilicet in Baptismo redditur aptus ad alia Sacramenta suscipienda; in Confirmatione ad fidem intrepide profitendam adversus Christiani nominis hostes: in Ordine ad sacra munera rite obeunda: cum vero haec tria Sacramenta con-

(1) *Vide D. Thom. Part.* 3 *Quaest.* 62. *art.* 2.
(2) *In Instruct Armen.*

ferantur per modum consecrationis subjecti ad certa quaedam officia, fit inde, ut si semel valide fuerint collata, iterari non possint; id quod semper tenuit Ecclesia catholica, ut patet ex praelato canone Concil. Trid.

PROPOSITIO

Perpetua Ecclesiae consensio edocet tribus Sacramentis imprimi Characterem, Baptismo nempe, Confirmatione, et Ordine.

Cum de tribus hisce Sacramentis sermo instituetur, propositam veritatem divinae traditionis ope ostendemus, qua sedulo expensa, Tridentini Patres, quorum definitionem interea heic exscribere sufficiet, sic statuerunt: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (1). Ergo etc.

CAP. VII.

De Ministro Sacramentorum.

PROP. I.

Fides docet non omnibus competere ordinariam administrationem sacramentorum, sed iis tantum, quibus a Christo per specialem consecrationem haec potestas collata est.

In hac confirmanda veritate immorari supervacaneum est; singulis enim Sacramentis, cum de his in specie disseremus, suum ministrum constituemus: interim ad hoc fidei dogma stabiliendum satis erit Tridentinae Sy-

(1) *Sess. 7. Can. 9.*

nodi definitionem prae oculis habere, quae sic se habet: *Si quis dixerit Christianos omnes . . . in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

S C H O L I O N.

Hic excipitur Baptismatis Sacramentum, quod mira providentia Deus voluit ab omnibus conferri, cum urget necessitas.

P R O P. II.

Ut valide conficiatur Sacramentum, requiritur aliqua ex parte intentio ministri illud conficientis.

Rem ita se habere declaravit Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, et merito, cum Sacramenti administratio esse debet actus humanus, cujusmodi non esset, si minister nulla intentione sacramenti conficiendi afficeretur; hac ratione factum est, ut Ecclesia iteraverit baptisma collatum ab energumenis.

P R O P. III.

Minister in conficiendo Sacramento debet velle facere quod facit Ecclesia.

Hanc fidei veritatem constituit Ecclesia contra Lutherum, cum in Concil. Tridentino sic definivit: *Si quis dixerit in Ministris, dum sacramenta conficiuntur, et conferuntur non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit* (1): et certe Minister quilibet in conficiendis, conferendisque Sacramentis agit nomine Christi, et auctoritate Ecclesiae, quo modo non se gereret, si intentionem non haberet faciendi quod facit Ecclesia; Ecclesia vero nihil aliud facit, quam exequi externum ritum praescriptum a Christo Sacramentorum Auctore.

(1) *Sess.* 7. *Can.* 11.

Nec fides, nec probitas in ministro necessaria est, ut valide conficiatur Sacramentum.

Demonstratur prima pars: nam ex vetustissima Apostolorum traditione, semper in Ecclesia religiose servatum est, ut haeretici ad Ecclesiae sinum redeuntes sacramenta, quae characterem imprimunt, iterum non reciperent; idem quoque accurate custoditum fuit relate ad sacramenta, quae characterem non producunt, ad quorum confectionem, non jurisdictionis, ed ordinis potestas requiritur; immo haeretici ipsum poenitentiae Sacramentum in extrema necessitate valide conferunt, ut declaravit Trident. Synodus (1). Ergo fides in Ministro, non requiritur ad valide conficienda Sacramenta.

Prob. altera pars: Omnia Sacramenta vim suam repetunt a Christo illorum institutore, minister verò est merum instrumentum, cuius vitium impedire nequit virtutem caussae, ut monet D. Augustinus: *Baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur* (2): hanc fidei veritatem, sic confirmat Concil. Tridentinum: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit* (3).

SCHOLION.

Cetera, quae ad rem hanc spectant, fuse persequuntur Theologi Morales.

---

(1) *Sess.* 14. *Cap.* 7.
(2) *Tract.* 5. *in Ioan.*
(3) *Sess.* 7. *Can.* 12.

CAP. VIII.

De Subjecto Sacramentorum.

Homines Viatores dumtaxat sunt Sacramentorum subjectum: eorum enim adminiculo, *omnis vera justitia vel incipit*, *vel coepta augetur*, *vel amissa reparatur* (1); jamvero justitiae donum, neque in Beatis augeri, nec in Damnatis reparari potest. Igitur ii, quibus conferri possunt sacramenta, homines sunt in terris positi; hi porro si ritum externum a Christo institutum libere, ac serio suscipiant, ipsum Sacramentum valide accipere intelliguntur; ut autem licite quoque et utiliter recipere existimentur, fides, et pietas ipsis necessaria sunt, ut monet Augustinus, inquiens: *Interesse plurimum ad salutis viam*, *quali fide imbutus sit*, *qui accipit sacramentum*, utque aperte colligitur ex hoc canone Tridentini Concilii (2): *Si quis dixerit Sacramenta novae legis*, . . . *gratiam non ponentibus obicem non conferre*, *anathema sit*; jamvero qui fide, ac pietate destituti ad Sacramenta suscipienda accedunt, obicem profecto opponunt; quare nec licite, nec utiliter accipiunt; haec tamen intelligenda sunt de sacramentis *vivorum*, quae in suscipientibus Sanctitatis gratiam supponunt; secus enim sermocinandum est de Sacramentis *mortuorum* quae ideo instituta sunt, ut habitualis gratia aliquo gravi crimine amissa, recuperetur.

CAP. IX.

De Caeremoniis Sacramentorum.

Sacramentorum Caeremoniae, seu ritus, qui in iis administrandis adhiberi solent, tria potissimum commoda afferunt. I. Maximam reverentiam sacramentis

(1) *Concil. Trid. Sess.* 7.
(2) *Sess.* 7. *Can.* 6.

conciliant. II. Imperitorum intelligentiam juvant, ut Sacramentorum vim, effectumque percipiant. III. Fidelium pietatem excitant, nutriuntque fidem, cum externis quibusdam signis ad rerum divinarum cognitionem ipsi assurgant. Cum itaque Sacramentorum ritus ab Ecclesia Catholica recepti, et adprobati tanta nobis pariant spiritalia bona, sequitur inde graviter eos in fidei doctrina errare, qui autumant ritus illos in solemni administratione sacramentorum, aut contemni, aut sine culpa ad arbitrium omitti posse, quemadmodum declaravit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit receptos, et adprobratos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito . . . . omitti posse, anathema sit* (1).

Ex hactenus dictis conficitur ritus religiose servandos in solemni administratione Sacramentorum eos esse, quos Universalis Ecclesia recepit, et adprobavit; quocirca vel Pastorum nemini licebit, semel praescriptos ab Ecclesia ritus in novos alios mutare: qui contra sentiret, gravissimo teneretur errore, quem damnavit Tridentina Synodus, his verbis: *Si quis dixerit receptos, et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni administratione sacramentorum . . . . in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit* (2).

DE
SACRAMENTIS IN SPECIE
DE BABTISMO.

Quidquid de regenerationis Sacramento docet Catholica fides, hac potissimum methodo enucleabimus I. De Natura, et Institutione Baptismi II. De Materia, et Forma. III. De Ministro. IV. De Subjecto. V. De Ne-

(1) *Sess. 7. Can. 13.*
(2) *Ibidem*

cessitate. VI. Demum de eius Effectibus, maxima qua fieri poterit brevitate agemus.

CAP. I.

De natura, et Institutione Baptismi.

Q. Quid est Baptismus?

R. *Est Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo vitae* (1): explicatur definitio; dicitur *Sacramentum*, cum sit res sacra subjecta sensibus: dicitur *regenerationis*, propterea quod nos, qui filii irae, et vindictae nascimur, hujus Sacramenti efficacia regeneramur in Christo, ac efficimur filii Dei, haeredesque vitae aeternae: dicitur denique *per aquam in Verbo vitae*, ut designentur partes constituentes hoc Sacramentum, quae sunt ablutio aquae, et verba a Christo instituta, quorum virtute, aqua adipiscitur efficientiam mundandi, ac regenerandi.

PROPOSITIO.

Baptismus est veri nominis Sacramentum.

Ad veram Sacramenti rationem requiritur ritus sensibilis a Christo institutus, significans, et conferens gratiam: hujusmodi autem est Baptismus, est enim ritus sensibilis, ut cuique notum est: a Christo item institutus, his verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (2); rursus gratiam significat, exterior enim ablutio aquae, designat interiorem gratiam, quae animae labes tergit: gratiam denique confert juxta illud Joannis (3): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo etc.

---

(1) *Ioan. Cap.* 3. *Ad Ephes. Cap.* 5.
(2) *Matth. Cap.* 28.
(3) *Cap.* 3.

SCHOLION

Ut probe intelligantur quae inferius dicenda sunt, triplex baptismi genus distingendum est; alius enim est Baptismus *fluminis*, qui aquae ablutione absolvitur: alius *flaminis*, idest ardens recipiendi baptismi desiderium: tertius denique *sanguinis*, hoc est Martyrium pro Christo perlatum.

CAP. III.

De Materia, et Forma Baptismatis.

PROP. I.

Aqua naturalis sive maris sit, sive fluvii, sive paludis, putei, et fontis est necessaria Baptismi materia.

Nam in Baptismate administrando aquam adhibendam esse jussit Christus, his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. (1): rursus naturalem aquam semper usurpavit Ecclesia in baptismate conficiendo, adeo quidem, ut D. Augustinus dixerit, *Tolle aquam, non est Baptismus* (2). Hinc perpetuae innixi traditioni Ecclesiae Tridentini PP. statuerunt: *Si quis dixerit aquam veram, et naturalem, non esse de necessitate Baptismi . . . . anathema sit* (3). Ergo etc.

COROLLARIUM.

Hinc aqua artificialis, sive ex fructibus, herbis, aut floribus expressa, ceterique liquores, qui a communi aquae natura distant, ad baptismum valide administrandum non valent.

(1) *Ioan. Cap.* 3.
(2) *Tract.* 15. *in Joan.*
(3) *Sess.* 7. *Can.* 2.

PROP. II.

Valet Baptismus per infusionem, vel aspersionem datus, adeoque necessaria non est immersio; sic tenet Ecclesia contra Graecos Schismaticos.

Ostenditur et explicatur propositio: triplici modo adhiberi potest aqua suscipienti baptismum, vel cum in aqua corpus mergitur, idest per *immersionem*, vel cum aqua corpus aspergitur, hoc est per *aspersionem*, vel aqua effunditur super aliquam praecipuam partem corporis, scilicet per *effusionem*; hic tertius abluendi modus nunc usurpatur ab Ecclesia Latina, quae praecipit, ut in conferendo baptismate, aqua super caput baptizandi effundatur: Cum porro Christus imposuit praeceptum recipiendi baptismi, jussit tantum per ablutionis modum, inquit enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* et alibi: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* jamvero *Ablutio*, ut monet apposite D. Thomas (1) *fieri potest . . . . non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis.* Ergo etc.

Q. Quaenam est Baptismi forma?

R. Juxta Catholicae fidei dogma, haec est, vel aequivalens: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

PROP. III.

Ad necessariam Baptismi formam requiritur expressa invocatio trium personarum SS. Trinitatis.

Nam expressam illam invocationem praecipit Christus, inquiens: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (2). Hinc Ecclesiae Patres affirmarunt irritum esse baptisma, quod jam dictis evangeli-

(1) 3. *Part. Quaest.* 66. *art.* 7.
(2) *Math. Cap.* 28.

eis verbis non conferretur: *Quis dubitat*, ait D. Augustinus (1), *non esse baptismum Christi, si verba Evangelica . . . . illic defuerint?* Ergo etc.

SCHOLION.

Juxta constantem Catholicorum doctrinam, quod ad formam Baptismi pertinet, praeter expressam invocationem trium divinarum personarum, pronunciari necessario debent hae voces, *te baptizo*, ut Sacramenti veritas constes (2); nisi enim *exprimatur actus Baptismi, non conficitur Sacramentum* (3). Praeterea pronunciari debet *in nomine*, non vero *in nominibus*, ut unitas divinae substantiae, ac potestatis in tribus personis significetur, quemadmodum praeclare advertit D. Ambrosius (4).

CAP. III.

De Ministro Baptismi.

PROP. I.

Ordinarii Ministri Baptismatis sunt Episcopi, et Sacerdotes.

Universalis enim Ecclesiae traditio, atque usus docuit illa Christi verba: *Euntes . . . . docete . . . . . baptizantes eos* etc. spectare Apostolos, atque Christi discipulos, ac proinde eorum successores presbyteros; hinc Eugenius IV. inquit: *Minister hujus Sacramenti* (Baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare* (5).

(1) *Lib. 6. de Baptismo contra Donatist. Cap.* 25.
(2) *Ita definivit Alex. III. Extrav. de Baptis. Cap.* 1. Si quis.
(3) *D. Thomas.* 3. *Part. Quaest.* 66. *art.* 5.
(4) *Lib.* 2. *de Sacram. Cap.* 7.
(5) *In Decret. pro Instruc. Armen.*

Scholion.

Extraordinarius solemnis minister Baptismi est Diaconus, quia vi sui Ordinis potest ei delegari solemnis ministratio Baptismi; sic enim Episcopus ordinandos alloquitur: *Diaconum oportet . . . . . . baptizare* etc. Diaconus igitur in necessitate ab Episcopo, vel Parocho jussus, poterit solemniter obire officium baptizandi.

Prop. II.

Homines tum haeretici, tum etiam non baptizati possunt Baptismum valide administrare.

Prima pars hujus propositionis liquet ex tractu de Sacram. in genere, ubi validum esse Baptisma collatum ab iis, qui vera fide destituuntur, adnotavimus: accedit quoque definitio Concil. Trid.: *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hareticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit* (1).

Altera pars patet ex definitione Concilii Lateranensis IV. in quo legimus: *Sacramentum baptismi a quocumque ritu collatum proficere ad salutem*: adeoque validum esse: Hinc Eugenius IV. haec expresse de Baptismi Ministro edixit: *In casu necessitatis etiam paganus baptizare potest* (2).

Prop. III.

In necessitate omnes Catholici sive viri, sive mulieres etiam licite ministrare possunt Baptisma.

Hujus propositionis ratio, est Christi voluntas, quam nobis aperuit Universalis Ecclesiae traditio, et consuetudo; hinc illud Tertulliani: *Dandi quidem baptismi*,

(1) *Sess. 7. de Baptismo Can. 4.*
(2) *In Decret. pro Instruct. Armen.*

etiam laicis jus est (1). Si porro plures adsint, qui in necessitate baptizare possint, hic ordo religiose inter seipsos rvandus erit, nimirum Diacono Sacerdos, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, vir foeminae anferendus est.

CAP. IV.

De subjecto Baptismi.

PROP. I.

Infantes valide, et licete baptizari docet fides.

Lex enim suscipiendi baptismi a Christo lata, his concepta verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (2), cum sit generalis, etiam parvulos complectitur, qui certe regnum Dei ingredi possunt, ut alibi Christus ipse testatur, inquiens: *Talium est enim regnum coelorum* (3). Hinc Apostoli ab ipso Christo instituit, Ecclesiae tradiderunt consuetudinem baptizandi parvulos, ut docet Origines, his verbis: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis dare baptismum* (4). Ergo infantes valide, et licite baptizantur: hoc fidei dogma sic definivit Trid. Synodus: *Si quis dixerit parvulos, eo quod credendi actum non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea eum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, anathema sit* (5).

COROLLARIUM

Hinc non solum licet, sed expedit quoque parvulos

(1) *Lib. de Baptis. Cap. VII.*
(2) *Joan. Cap.* 3.
(3) *Matth. Cap.* 19.
(4) *In Cap.* 6. *Epist. Ad Romanos.*
(5) *Sess.* 7. *Can.* 13.

ante usum rationis baptizare, ut ex Traditione Apostolica probat perpetua Ecclesiae consuetudo; sic enim illi aeterna damnatione, cui erant expositi, eximuntur, fiunt Christi membra, et vitae Christianae, cui a puerizia assrescnnt, firmius adhaerent; proinde gravi crimine se obstridgeret, qui ad adolescentiam, vel ad adultam usque aetatem baptisma protraheret. Quapropter jure Tridentina Synodus hoc Catholicae doctrinae caput, sic nobis proposnit: *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus buptizandus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit* (1).

Prop. II.

In Adultis, ut gratiam in Baptismo consequantur, tres in primis requiri dispositiones, fidem nimirum, poenitentiem, et inchoatum Dei amorem, fides docet.

Christus affirmat Baptismo praerequiri fidem, inquiens: *Qui crediderit, st baptizatus fuerit; salvus erit* (2). II. Verum de admissis peccatis dolorem praemittendum esse baptismo, testatur D. Petrus, cum ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (3). III. Demum, nt baptismi gratiam quis sibi comparet, oportet, ut Deum *tanquam omnis justitiae fontem diligere* incipiat (4); *Qui, enim, non diligit manet in morte* (5). Ergo etc. Hanc Catholicam doctrinam mire exposuerunt Tridentini Praesules (6).

---

(1) *Sess.* 7. *Can.* 12.
(2) *Marci cap.* 16.
(3) *Act. Cap.* 2.
(4) *Trident. Sess.* 6. *Cap.* 6.
(5) *Joan. Epistola I. Cap.* 3.
(6) *Sess.* 6. *Cap.* 6

Scholion.

Alia, quae de Baptismi subjecto hic desiderantur instituti nostri ratio declarare non patitur: consule igitur Morales Institutiones.

CAP. V.

De Necessitate Baptismi.

Prop. I.

Baptismus parvulis omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem aeternam.

Illa Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. (1) complectitur omnes etiam parvulos: sic eam explicavit constans Ecclesiae traditio: *Ubique nullum excipit Christus* (ait S. Ambrosius), *non infantem, non aliqua praeventum necessitate* (2). Igitur Infantes sine baptismo vitam aeternam consequi nequeunt, etiamsi citra ullam culpam ille fuerit praetermissus; Hanc totius Ecclesiae fidem, sic declaravit Synodus Trid.: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, anathema sit* (3).

Prop. II.

Adultis omnibus Baptismus in re vel in voto, necessarius est necessitate tum medii, tum praecepti.

Ea Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. cum ex ostensis spectent infantes, qui rationis sunt expertes, multo magis respicere debent adultos; qui liberum habent usum rationis.

(1) *Joan. Cap.* 3.
(2) *Lib.* 2. *de Abraham. Can.* 4.
(3) *Sess.* 5. *de Pec. Originali Can.* 4.

Altera propositionis pars constat ex iis, quae Apostolis injunxit Christus, inquiens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. (1) hoc sane mandatum administrandi baptismatis, secumfert quoque praeceptum ejusdem recipiendi: Quocirca rem hanc, sic statuit Concilium Trident. *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit* (2).

Prop. III.

Ardens Baptismi votum, vel martyrium supplet vices Baptismi aquae.

Quamvis Baptisma sit medium necessarium ad consequendam salutem, attamen Clementissimus Dominus statuit, ut adultus, cui deest baptismus aquae, salutem aeternam obtineat ardenti ejusdem desiderio Deus enim promisit aeternam vitam iis, qui contrito corde ad eum accedunt, invocant, ac diligunt, ut scribit Apostolus (3): *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hinc in sacris litteris legimus Cornelium, ejusque socios ante baptismum susceptum, Spiritum Sanctum recepisse ardens Christianae fidei desiderium (4). Hanc fidei veritatem definivit Trid. Synodus (5).

Idem docet fides, respectu eorum, qui non suscepto baptismo, vitam tamen pro Christo dederunt: siquidem Christus ipse testatur: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (6), quibus verbis sic concinit D. Augustinus: *Qui pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis* (7). Ergo etc.

---

(1) *Matth. Cap.* 28.
(2) *Sess.* 7. *Can.* 5.
(3) *Ad Rom. Cap.* 10.
(4) *Act. Cap.* 10.
(5) *Sess.* 6. *de Justif. Cap. IV.*
(6) *Matth. Cap.* 16.
(7) *Lib.* 13. *de Civ. Dei Cap.* 7.

SCHOLION.

Animadvertendum est Baptismi votum, vel Martyrium, non supplere sacramentum baptismi, quod spectat ad impressionem Characteris, qui certe character est proprius effectus solius baptismi aquae vere suscepti.

CAP. VI.

De Baptismi Effectibus.

Q. Quinam sunt Baptismi effectus?

R. Baptismus I. Delet peccatum originale, et insuper *peccata quaecumque, corde, ore, et opere commissa* (1); Apostolus enim recensitis, quae e regno Dei excludunt, culpis, subdit, *et haec quidem fuistis, sed abluti estis*, nempe per baptismum (2) II. Baptizadum ornat gratia sanctificante, cum enim baptismus deleat quaecumque peccata, reddit hominem Deo gratum. III. Remittit omnem omnino poenam peccatis in altera vita debitam, ut statuit Trid. Synodus; inquiens: *Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum. . . ita ut nihil eos ab ingressu Coeli remoretur* (3) IV. Imprimit Animae baptizati characterem, seu signum spirituale indelebile: et quidem Patres baptismum appellarunt *Signaculum Sanctum*, *signum indelebile* (4): *Signaculum spirituale* (5), quo fit, ut Sacramentum baptismi nunquam iterari possit, ut ipsa fides docet in Concil. Trident: *Si quis dixerit verum, et rite collatum baptismum iterandum esse... anathema sit* (6).

(1) *D. Augustinus Enchir. Cap.* 64.
(2) *I. Ad Corinth. Cap.* 6.
(3) *Sess.* 5. *de Pecc. Originali Can.* 5.
(4) *S. Cyrillus Hierosol. Procateches. n.* 16.
(5) *S. Ambros. Lib. de Myster. Cap.* 7.
(6) *Sess.* 7. *Can.* 11.

PROP. I.

Recensitos modo Baptismi effectus non producebat baptisma Joannis Judaeis collatum: ita docet fides.

Hanc veritatem aperuit ipse Joannes, cum alloquens Judaeos, inquit: *Ego baptizo vos in aqua* (1): *Ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto* (2). Ergo baptismus Joannis non conferebat Spiritum Sanctum: Quocirca Trid. Synodus sic statuit: *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit* (3).

PROP. II.

Votum Baptismi, qui non potest suscipi defectu, aut Ministri, aut Materiae, non supplet omnem omnino illius effectum.

Et primo non supplet characterem, qui, ut dictum, est, proprius est effectus baptismi aquae revera collati, et recepti. II. Non supplet remissionem poenae temporalis, quae in altera vita debetur peccato, licet, quod ad reatum culpae, jam remisso: Ecclesia enim, quae veritatis firmamentum est, semper publicas preces ad Deum fudit pro Catechumeno sine baptismate defuncto, ob remissionem poenae temporalis debitae in altera vita: Ergo baptismi votum, in casu necessitatis jam dicto, remittit tantum reatum culpae: Ecclesia siquidem pro illis non oraret, nisi crederet eosdem decessisse in statu gratiae sanctificantis.

---

(1) *Joan. Cap.* 1.
(2) *Matth. Cap.* 3.
(3) *Sess.* 7. *Can.* 1.

Martyrium quod Catechumenus pro Christo patitur in Ecclesia, supplet omnem prorsus Baptismi effectum, excepto charactere.

Eximia enim caritas tum *intensive*, tum *extensive* perfecta, qua informatur Martyr, praestat ut iisdem fruatur baptismi effectibus; id comprobatur vetustissima Ecsiae consuetudine, quae nunquam precata est pro Martyribus, ut poena aliqua eis in altera vita condonaretur; hinc illud Augustini: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre* (1).

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quae de Sacramento Confirmationis Catholica tenet Ecclesia, quinque capitibus comprehendi possunt. Quapropter I. De Natura Confirmationis. II. De Materia, et Forma. III. De Ministro. IV. De Subjecto. V. Demum de illius Necessitate, et Effectibus, brevi disseremus.

CAP. I.

De Natura Sacramenti Confirmationis.

Q. Quid est Confirmatio?

R. Est Sacramentum novae legis, quo baptizatis confertur robur spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profitendam. Explicatur definitio: dicitur *Sacramentum* etc. cum sit signum sen-

(1) *D. Augustinus Serm. 17. de Verbis Apostoli.*

sibile: *quo baptizatis* etc. quia baptismus, ita necessario praemittendus est Confirmationi, ut frustra praeberetur homini nondum baptismate initiato; dicitur denique; *quo confertur robur* etc. haec verba indicant effectum peculiarem, et gratiam hujus Sacramenti, quo fit, ut ab aliis secernatur Sacramentis.

Prop. I.

Confirmatio est verum, ac proprium Sacramentum novae legis.

Ad statuendam veram Sacramenti rationem, tria concurrant necesse est. I. Ut sit signum sensibile. II. Ut habeat impertiendae gratiae efficientiam. III. Ut a Deo sit institutum, jamvero haec tria in Confirmationem apprime quadrant: Et sane est signum sensibile, cum non conferatur sine oratione, et manuum impositione; sic enim Petrus, et Joannes Samaritanis Confirmationem administrarunt: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum . . . , tunc imponebant manus super illos* etc. (1). Porro Confirmatio virtutem habet gratiae conferendae, siquidem ii, quibus administrata fuit, *accipiebant Spiritum Sanctum* (2). Nec tandem eidem deest divina institutio, cum unius divinae virtutis sit signo sensibili vim largiendae gratiae aduectere: Quare Tridentina Synodus jure nobis credendum proposuit hoc fidei dogma, his verbis: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum, ac proprium Sacramentum. . . . anathema sit* (3).

---

(1) *Act. Cap.* 8.
(2) *Ibidem.*
(3) *Sess.* 7. *de Confirm. Can.* 1.

CAP. II.

De Materia, et Forma Confirmationis.

PROP. I.

Manuum impositio non minus spectat ad essentialem materiam Confirmationis, quam unctio Chrismatis, adeoque in utraque posita est plena, et integra materia hujus Sacramenti.

Materia est res sensibus subjecta, quae in Sacramentis conficiendis ex Apostolica traditione ab Ecclesia adhibetur ad gratiam conferendam illa suscipientibus: sed hujusmodi est in Confirmatione, et manuum impositio, et chrismatis unctio: de manuum impositione nemini dubium esse potest, quoniam de Apostolis hoc Sacramentum ministrantibus legimus (1): *Tum imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*: Ergo etc.

Altera pars constat ex vetustissima traditione Patrum, qui semper in pari honoris, dignitatis, ac virtutis gradu cum impositione manuum reposuerunt chrismatis unctionem: et quidem Tertullianus inquit: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur* (2). Accedit S. Cyprianus, qui de chrismatis unctione, sic disserit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate .... habere in se gratiam Christi possit* (3). Ergo cum PP. unctioni chrismatis virtutem communicandae gratiae adscripserint, dicendum est manuum impositionem, non minus spectare ad essentialem materiam etc.

---

(1) *In Act. Apost. Cap.* 8.
(2) *Pag.* 125. *Edit. Baluz.*
(3) *Epist.* 73.

PROP. II.

Tota Confirmationis forma sita est tum in oratione quae comitatur impositionem manuum, et per quam invocatur Spiritus Sanctus, tum in iis verbis, quae proferuntur in actu unctionis: Signo te, signo crucis, et confirmo te chrismate salutis *etc.*

Orationem, quae comitatur impositionem manuum, semper a suis iucunabulis adhibuit Ecclesia tanquam instrumentum gratiae conferendae; ut testatur S. Cyprianus: *Qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur* (1).

Altera vero pars liquet ex eo, quod forma illa *Signo te* etc. jam inde a saeculo VIII. praescripta legitur in Ordine Romano (2); immo in aliis vetustissimis Pontificalibus iisdem ferme verbis proferenda praecipitur; quod fieri non posset, nisi in superioribus saeculis adhibita fuisset ab Ecclesia. Ergo verborum formula unctioni chrismatis adjecta ex antiquissimo Ecclesiae statuto, recte censetur ad Confirmationis essentiam spectare.

CAP. III.

De Ministro Confirmationis.

PROPOSITIO.

Solum Episcopum esse ordinarium Ministrum Confirmationis docet fides.

In Scripturis enim non alios nisi Apostolos legimus ministrasse Sacramentum Confirmationis; hinc Patres unanimi consensu solis Episcopis attribuunt munus administrandae Confirmationis: audiatur prae ceteris S. Cy-

(1) *Ibidem.*
(2) *Cap. de Sabbato Sancto.*

prianus: *Qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae* (h. e. Episcopis) *offeruntur, ut Spiritum Sanctum consequantur*: jure ergo Trid. Synodus definiit: *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum., non esse solum Episcopum....anathema sit* (1).

COROLLARIUM

Cum Tridentini PP. definierint Episcopum esse Ministrum ordinarium Confirmationis, satis aperte significarunt alium esse posse ejusdem ministrum extraordinarium, idest simplicem presbyterum, urgente admodum caussa, *per dispensationem* tamen *Sedis Apostolicae*, ut monet Eugenius IV. in Decreto pro Armenis.

CAP. IV.

De Subjecto Confirmationis.

Ii dumtaxat, qui lavacro regenerationis abluti sunt, apti existimantur suscipiendo Confirmationis Sacramento: id exploratum est ex universalis Ecclesiae traditione ducta ab Apostolis, qui Samaritanos, et Ephesios, non prius confirmarunt, quam baptismum suscepissent (2): et sane sicut nemo potest adolescere, nisi primo fuerit natus; ita nemo per Confirmationem potest in vita christiana roborari nisi per baptisma incipiat esse Christianus (3), nec Spiritus Christi particeps esse potest, nisi qui jam per baptisma Mystico ejus Corpori adhaeserit, adeoque sine baptismo ad cetera Sacramenta aditus patere nequit.

SCHOLION

Quae de aetate, ac dispositionibus confirmandorum disseruntur, facile colligi poterunt ex Moralibus Institutionibus.

---

(1) *Sess.* 7. *de Confirm. Can.* 3.
(2) *Ex Act. Apost. Cap.* 9. 10.
(3) *Ita D. Thom.* 3. *Part. Quaest.* 72. *art.* 6.

CAP. V.

De Necessitate, et Effectibus Confirmationis.

PROP. I.

Confirmatio non est necessaria ad salutem necessitate medii.

Omissa enim Confirmatione citra culpam, salus obtineri potest, nempe per baptismi Sacramentum, ut docet ipse Christus, his verbis: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (1). Hinc mos invaluit in Ecclesia Romana, *quae omnium Ecclesiarum Mater est, et Magistra* (2), ut infantes statim a baptismo non confirmentur; quam sane consuetudinem non sequeretur tam praecellens Ecclesia; si Confirmatio esset necessaria necessitate medii ad salutem.

PROP. II.

Confirmationis Sacramentum est necessarium necessitate tum Praecepti Ecclesiastici, tum Divini.

Prima pars hujus prop. patet ex plurimis vetustissimorum Conciliorum decretis, quibus praecipitur: *Oportere eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercoelesti chrismate* (3).

Prob. altera pars: Licet in Scripturis nullum expresse contineatur praeceptum hujus Sacramenti suscipiendi; jure tamen creditur divinitus impositum, cum supervacanea fuisset tanti Sacramenti institutio, nisi et mandatum illius recipiendi additum esset. Ad haec Confirmatio idcirco instituta fuit, ut humana infirmitas consistere posset, et in fide profitenda, et in superandis, quae fidei opponuntur, tentationibus: incredibile autem est Christum tam efficax remedium praebuisse, nullumque eo utendi praeceptum imposuisse. Ergo etc.

---

(1) *Marc. Cap.* 16.
(2) *Trident. Synod. Sess. 7. de Baptis. Can.* 5.
(3) *Ex Concil. Laodic. Can.* 48.

Prop. III.

Confirmationis est gratiam conferre roboris ad fidem strenue profitendam.

In Confirmationis Sacramento (sic rem explicat, probatque D. Thomas (1)) quisque fidelis accipit ea, quibus ad pugnam spiritalem contra fidei hostes sustinendam munitur, ut palam fit Apostolorum exemplo, qui cum die Pentecostes accepissent virtutem Spiritus Sancti, seu Confirmationis gratiam, fortissimi extiterunt in fide Christi vulganda apud Judaeos, et Gentes ejusdem fidei inimicos; hanc doctrinam universa Patrum traditio firmat: Hinc Eugenius IV., inquit: *Per Baptismum spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide.*

Prop. IV.

Confirmatio characterem imprimit.

Ex traditione Patrum numquam interrupta constat Confirmationem imprimere animae sigillum quoddam indelebile; nam S. Cyprianus vocat Confirmationem *Signaculum Dominicum* (2), eamque S. Ambrosius appellat, *Spirituale signaculum* (3), quo fit, *ut qui a Pontifice* (idest Episcopo) *confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est* (4); quapropter jure sic definivit Synodus Trident.: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in Anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (5).

---

(1) 3. *Part Quaest.* 72. *art.* 5.
(2) *Epist.* 73.
(3) *S. Ambr. Lib.* 3. *de Sacram. Cap.* 2.
(4) *Gregorius II. Epist.* 13. *ad Bonifac.*
(5) *Sess.* 7. *de Sacram. in Gener. Cap.* 9.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

Cum Eucharistia rationem habeat et Sacramenti, et Sacrificii, quidquid de ea sub hac duplici ratione spectata, universalis Ecclesia docet, exponemus: ac primo de Eucharistia, prout Sacramentum est, pauca edisseremus.

Q. Quomodo definitur Eucharistiae Sacramentum?

R. Novae legis Sacramentum, continens Corpus, et Sanguinem Christi sub speciebus panis, et vini, institutum ad spiritualem fidelium refectionem.

Ad hanc definitionem enucleandam, ac stabiliendam, plura quam brevissime inquiremus: ac I. Quidem de Institutione, atque Natura hujus Sacramenti, ac de reali Corporis, et Sanguinis Christi in eo praesentia agemus. II. De *Transubstantiatione*: III. De Materia, et forma. IV. De Ministro, ac Subjecto. V. De Necessitate, et Effectibus. VI. De Praeparatione ad illud suscipiendum requisita. VII. Demum de Cultu eidem exhibendo, verba faciemus.

CAP. I.

De Institutione, et Natura Eucharistiae.

PROP. I.

Eucharistia est verum novae legis Sacramentum.

Hac de re nemini Catholicorum dubitare licet: In Eucharistia enim adest ritus sensibilis, externae nimirum species panis, et vini: rursus instituta est a Christo, ut testatur Apostolus (1), inquiens: *Dominus Jesus . . . accepit panem, et gratias agens, fregit, et*

(1) *I. Ad Corinth. Cap. 11.*

dixit; *accipite*, *et manducate*; *Hoc est Corpus meum*. Demum secumfert gratiae promissionem, ut Christus ipse docet: *Si quis manducaverit ex hoc pane*, *vivet in aeternum* (1). Ergo in Eucharistia occurrunt, quae ad statuendum novae legis Sacramentum requiruntur.

Prop. II.

Sacramentum Eucharistiae non consistit in solo ejus usu, *vel sumptione*, *sed est aliquid permanens*.

Explicatur, et ostenditur catholica propositio: Illud sane prae ceteris Sacramentis singulare in Eucharistia reperitur, quod cetera Sacramenta, tunc primum sanctificandi virtutem exerunt, quando quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum existit; quandoquidem Apostoli nondum Eucharistiam acceperant de manu Domini, cum vere tamen ipse Christus affirmaverit, Corpus suum esse, quod praebebat; quapropter semper haec fuit in Ecclesia fides (2), nimirum statim post consecrationem verum Christi Corpus, et verum ejus Sanguinem sub panis, et vini specie una cum ipsius anima, et divinitate existere.

Prop. III.

Corpus, *et Sanguis Christi vere*, *realiter*, *et substantialiter continetur in SS. Eucharistiae Sacramento*.

Cum Christus tantum Sacramentum nobis promisit, his verbis usus est: *Panis*, *quem ego dabo*, *Caro mea est pro mundi vita* (3), quae sane verba de propria verae Carnis manducatione accipienda sunt; siquidem ea

---

(1) *Joan*. *Cap*. 6.
(2) *Trid*. *Sess*. 13. *Cap*. 3. *de Excellentia SS*. *Eucharistiae*.
(3) *Joan*. *Cap*. 6.

sic acceperunt, non modo Judaei, sed et Discipuli, quorum multi, sermone Christi veluti offensi *abierunt retro*, idest se abalienarunt a Christo (1); qui rursus, ut eos in Eucharistiae fide statueret, hac addidit: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus* (2), quod intelligi non potest, nisi Corpus, et Sanguis Christi in Eucharistia *substantialiter* contineantur. Divinam hanc doctrinam mire Christus explicavit, cum Eucharistiam instituit, inquiens: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. . . . .. Hic est Sanguis meus qui pro vobis et pro multis effundetur* (3): hic certe locutus est Christus de Corpore suo pro nobis tradendo, ac de Sanguine pro salute humani generis fundendo; quis autem dixerit Christum pro nobis verum, et proprium Corpus non tradidisse, ac verum sanguinem non effudisse? Jure igitur Trid. Synodus hoc catholicum dogma sic definivit: *Si quis negaverit in SS. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem . . . . Christi. . . . . sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit* (4).

Corollarium.

Hinc deducitur illud fidei dogma, fideles nimirum, quibus ministratur sacra Eucharistia, *sacramentaliter, ac realiter* Christum Dominum manducare, ut definivit Trid. Synodus his verbis: *Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter, ac realiter, anathema sit* (5).

---

(1) *Joan. Ibidem.*
(2) *Ibid. vers.* 56.
(3) *Matth. Cap.* 26.
(4) *Sess.* 13. *de Euchar. Can.* 1.
(5) *Sess.* 13. *Can.* 8.

CAP. II.

De Transubstantiatione.

Q. Quid est Transubstantiatio?

R. Cum Concilio Trident. (1), *Est conversio totius substantiae panis in Corpus Christi, et totius substantiae vini in Sanguinem Christi, remanentibus dumtaxat speciebus panis, et vini.*

Propositio.

Fide divina certum est in Eucharistia fieri transubstantiationem, seu conversionem totius substantiae panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi.

Hac in re constantissima est traditio Patrum, qui in Eucharistia panem in Corpus, et vinum in Sanguinem Christi *mutari*, ac *transmutari*, docuerunt (2). Siquidem si post consecrationis verba, panis substantia reliqua esset incolumis, nec in Corpus Christi converteretur, falsa prorsus essent illa Christi verba, *Hoc est Corpus meum*; quoniam pronomen hoc ad praesentem panis substantiam, non ad Corpus Christi, in quod substantia panis revera convertitur, referretur, quod catolicae fidei repugnat, ut definivit Trid. Synod. (3): *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, et vini, una cum Corpore, et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, et negaverit mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae*

---

(1) *Sess.* 13. *de Euchar. Can.* 2.

(2) *S. Cyrillus Hierosol. Carachet.* 22. *Mystag. S. Gregorius Nyssen. Orat. Catachet. Cap.* 37. *S. Chrysost. Homil.* 82. *in Matth. S. Joan. Damasc. Lib.* 4. *Orthodox. Fid. Cap.* 1.

(3) *Sess.* 13. *Can.* 2.

vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit.

Corollaria

I. Fides docet sub specie vini perinde atque sub specie panis totum, et integrum Christum esse, ut testatur Apostolus (1) *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, et Sanguinis Domini*; immo non solum sub unaquaque specie, *sed etiam sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri*, definiere Tridentini Praesules (2).

II. Eadem Tridentina Synodus declarat (3), *vi verborum* consecrationis, solum Corpus Christi sub specie panis, et solum Sanguinem sub specie vini existere; quia illud unum ponitur in Sacramento *vi verborum*, quod exprimitur, ac significatur per verba formae.

III. Virtute *Concomitantiae*, quae est conjunctio unius cum alio, Corpus Christi sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, et sub utraque specie etiam Animam, et Divinitatem Christi existere eadem Synodus docet; nam Corpus Christi in Eucharistia vivum est, et hujusmodi esse nequit sine Sanguine, et Anima: rursus Sanguis Christi in Eucharistia est hominis viventis, et talis esse nequit sine Corpore, et Anima. Denique Divinitas Christi sub unaquaque specie etiam reperitur, *propter admirabilem illam ejus cum corpore, et anima hypostaticam unionem* (4). Quare *verissimum est*, ita pergunt Trid. Patres, *tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri.*

---

(1) *I. Ad Corinth. Cap.* 11.
(2) *Sess.* 13. *Can.* 3.
(3) *Sess.* 13. *Cap.* 3.
(4) *Trid. Synod. Sess.* 13. *Cap.* 3.

CAP. III.

De Materia, et Forma Eucharistiae.

Sacramentum Eucharistiae ex pane, et vino conficiendum perpetua, et constans traditio docet, ut manifestum fit ex illo Concilii Carthaginensis III. (1). *In Sacramentis Corporis, et Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradit, hoc est panis, et vinum aquae mixtum*; igitur de pane primum, deinde de vino Eucharistico disseremus.

Prop. I.

Panis triticeus est materia necessaria Sacramenti Eucharistiae.

Christus in conficiendo hoc Sacramento, pane triticeo usus est; legimus enim ipsum simpliciter panem accepisse: panis autem nomine, sine alio addito, communi hominum existimatione triticeus censetur: nihil porro refert ad Sacramenti substantiam, si adhibeatur panis azymus, vel fermentatus; PP. namque Orientalis, et Occidentalis Ecclesiae unanimi consensu in Synodo Florentina definierunt: *In azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici* (2). Cave tamen putes omnibus promiscue licere azymo, vel fermentato pane uti, Latinis enim azymum, Graecis vero fermentatum panem in conficienda Eucharistia adhibere, ab Universali Ecclesia sub gravi praeceptum est.

Prop. II.

Necessaria quoque Eucharistiae materia est Vinum uvis expressum.

Certe cum Christus Eucharistiam instituit, vinum ad-

(1) *Can.* 24.
(2) *Tom.* 13. *Concil.*

hibuit, ac in suum Sanguinem convertit, *Accipiens Calicem*, ut refert Evangelista Mattheus (1). . . . *dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus*; in Calice vero vinum exititisse uvis expressum, liquet ex his verbis, quae Christus ipse subdit: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis etc.* Hoc argumento semper usi sunt Patres, ut edocerent fideles, numquam *Sanguinem Christi offerri, si desit vinum Calici.* Ergo etc.

Scholion

Vino consecrando paullulum aquae immiscendum esse, quovis Ecclesiae saeculo tradiderunt Patres, ut patet ex testimonio Concilii Carthagin: III. superius allato, et ex Trid. Synodo, quae monet: *Praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit* (2), *quod mysterium hac mixtione recolitur*, tum denique quod illo ritu significatur populi fidelis conjunctio cum Christo Capite (3). Hinc eadem Synodus anathemate perculit eum, *qui dixerit aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem* (4). Verum accurate animadvertendum est hujusmodi commixtionem aquae cum vino, ad Sacramenti substantiam non pertinere, ut apposite S. Cyprianus, inquit: *Si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis* (5), idest sine significatione populi fidelis, qui exibetur admixtione aquae, quapropter *Quamvis aquae admiscendae ita graves rationes sint, ut cum sine mortali peccato praetermittere non liceat, ea tamen si desit,*

(1) *S. Cyprian. Epist.* 63.
(2) *Sess.* 22. *Cap.* 7.
(3) *Ut advertit. S. Cyprian. Epist.* 63.
(4) *Sess.* 22. *Cap.* 9.
(5) *S. Cyprian. Epist.* 63. *ad Concilium.*

Sacramentum constare potest: ita in hanc rem Catechis. Rom. (1).

Q. Quaenam est forma Sacramenti Eucharistiae?

R. Huic interrogationi, subjecta propositione, fiet satis.

P R O P O S I T I O.

In Eucharistiae Panis consecratur per haec verba: Hoc est Corpus meum; *vinum vero per ista*: Hic est Calix Sanguinis mei, *vel* Hic est Sanguis meus, *non vero per orationes liturgicas ipsis adjunctas.*

Christus designatis modo verbis, panem ac vinum Eucharisticum consecrasse, communis fert Ecclesiae sensus, ac rursus nullibi legimus Christum praecepisse, ut praenotatis evangelicis verbis, aliae adnecterentur preces, sine quibus ratio Sacramenti non consisteret: ea enim verba revera operantur quod significant; significant autem veram Corporis et Sanguinis Christi praesentiam, eamque reipsa efficiunt, secus evangelica verba falsum aliquid enunciarent: Hinc exurgit illa Universalis Ecclesiae consuetudo, ut nimirum post consecrationis verba, Eucharistia statim adoretur, quemadmodum cuique patet perlegenti Latinorum, Graecorumque Liturgias.

C A P. IV.

De Ministro, ac Subjecto Sacramenti Eucharistiae.

P R O P O S I T I O.

Soli Sacerdotes potestatem habent consecrandi Eucharistiam.

Munus conficiendae Eucharistiae solis Sacerdotibus

(1) *Part. 2. de Sacram. Eucharistiae.*

demandavit Christus, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; sic enim ipse allocutus fuit Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores: nemini autem hac in re dubium esse potest, cum universa consentiat Patrum traditio, quam sic Tridentini Praesules confirmarunt: *Si quis dixerit illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non ordinasse, ut Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit* (1). Ergo etc.

SCHOLION.

Quod spectat ad subjectum hujus Sacramenti, illud unum heic adnotare sufficiat, hominem nempe baptizatum, modo per culpam indignum non se praebeat, Eucharistiae suscipiendae capacem esse; nec enim fieri potest, ut qui baptismo, reliquorum Sacramentorum janua, insignitus non est, ad Sacramentum Corporis, et Sanguinis Domini admittatur; cetera, quae ad hanc rem pertinent, num scilicet infantibus, amentibus, vel peccatoribus sive publicis, sive privatis possit praeberi Eucharistia, Morales Theologi persequuntur.

CAP. V.

De Necessitate, et Effectibus Eucharistiae.

§. I.

De necessitate percipiendae Eucharistiae.

PROP. I.

Eucharistia ad salutem non est necessaria necessitate medii.

Salus aeterna haberi potest sine Eucharistia, sic infantes per *Baptismi lavacrum regenerati*, et *Christo in-*

---

(1) *Sess. 22. de Sacrif. Miss. Can. 2.*

corporati (1), cum ne desiderium quidem recipiendae Eucharistiae concipere possint, si decedant ex hac vita, aeternam beatitudinem consequuntur; hanc fidei veritatem firmavit Trid. Synodus, insequenti canone: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit* (2).

Prop. II.

Fidelibus adultis Eucharistia necessaria est Praecepto, tum Divino, tum Ecclesiastico.

Gravissimum praeceptum Eucharistiae percipiendae, fidelibus adultis imposuit Christus, qui praeterea aeternae mortis poenam transgressoribus minatus fuit, his verbis: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Altera vero pars praefatae propositionis palam fit ex decreto Tridentinae Synodi: *Si quis negaverit omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit* (3).

Prop. III.

Nullum tamen extat Praeceptum Divinum sumendae Eucharistiae sub utraque specie.

Christum enim sumentibus sub una tantum panis specie, vita aeterna promittitur, ipsomet Christo teste: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (4): quin immo Ecclesia infallibilis Christi verborum inter-

---

(1) *Concil. Trid. Sess.* 21. *Cap.* 4.
(2) *Sess.* 21. *Can.* 24.
(3) *Sess.* 13. *de Euchar. Can.* 9.
(4) *Joan. Cap.* 6.

pres, antiquitus ministrabat Eucharistiam tum infirmis, tum maxime infantibus sub una tantum vini specie: semper itaque exploratum habuit Ecclesia, nullum existere divinum praeceptum sumendi Eucharistiam sub utraque specie. Hoc fidei dogma sic expressit Trid. Synodus: *Si quis dixerit ex Dei praecepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit* (1).

Corollaria.

I. Justas ob causas Ecclesia in Concilio Constantiensi coacta, removit laicos ab usu calicis, qui ad seculum usque XII. ipsis concessus fuerat; quod hoc canone statuit Trid. Synodus: *Si quis dixerit S. Ecclesiam Catholicam, non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit* (2).

II. Cum gratia Sacramenti Eucharistiae, non ab exterioribus Symbolis, sed ab ipso Christo proficiscatur, et cum Christus totus, et integer sub qualibet specie existat, quemadmodum docet fides, sequitur nihil detractum spirituali commodo fidelium laicorum, quibus modo communio sub una tantum panis specie ministratur, sub qua integer Christus gratiarum fons, et auctor reperitur; hanc fidei veritatem, ita definivit Tridentinum Concilium: *Si quis negaverit totum, et integrum Christum omnium gratiarum fontem, et auctorem sub una specie panis sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit* (3).

---

(1) *Sess.* 21. *Can.* 1. *de Com. sub. Utraque Spec.*
(2) *Sess.* 21. *Can.* 2.
(3) *Sess.* 21. *Can.* 3.

§. II.

De Eucharistiae Effectibus.

Q. Quot, et quinam sunt Eucharistiae effectus

R. Licet innumeros, uberrimosque fructus edat Eucharistiae Sacramentum; quatuor tamen praecipuos, quos Trid. Synodus commemorat, recensemus et I. Intimam animarum nostrarum cum Christo conjunctionem efficit, ut inquit Christus ipse: *Qui manducat carnem meam . . . . in me manet, et ego in illo* (1). II. Nutrit, et confortat animas fidelium, idest caritatem perficit, et cupiditatem imminuit, ut loquitur Tridentinum: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit, qui manducat me, et ipse vivet propter me* (2). III. Levia peccata dimittit, ac praeservat a gravibus culpis; nam Christus sumi voluit Eucharistiam: *Tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur*. IV. Demum Eucharistia pignus est *Futurae nostrae gloriae, perpetuae felicitatis* (3), ac futurae resurrectionis, ut Christus ipse testatur inquiens: *Qui manducat meam carnem . . . . habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (4).

Corollarium

Hinc quisque per se colligere poterit virtutem Eucharistiae, non eo spectare, ut eam sumentibus dimittat gravia peccata admissa; quin immo, si quis contra sentiret, in haeresis crimen impingeret, ut declaravit Trid. Synodus: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum Sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum . . . anathema sit* (5).

---

(1) *Joan. Cap.* 6.
(2) *Trid. Sess.* 13. *Cap.* 2.
(3) *Trid. ibid.*
(4) *Joan. Cap.* 6.
(5) *Trid. Sess.* 13. *Can.* 5.

CAP. VI.

De Praeparatione ad Eucharistiam percipiendam requisita.

Catholica Ecclesia semper docuit, non solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum (1); adeoque, ut quis digne suscipiat tantum Sacramentum, oportet, ut justitia, sive sanctitate exornetur, idque adeo fide certum est, ut ipsa S. Trid. Synodus statuerit, ac declaraverit, Sacramentalem confessionem necessario praemittendam esse illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment: *Ne indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem Eucharistiam sumant* (2). Quicumque huic catholicae doctrinae privatim, aut publice repugnare praesumpserit, eo ipso excommunicatus existit (3).

CAP. VII.

De Cultu Eucharistiae debito.

Contra Christianae fidei hostes statuit Ecclesia illud fidei dogma, scilicet Eucharistiae cultum latriae etiam externum esse exhibendum, quem praeterea docuit in his tribus positum esse, ut nimirum illa adoretur, solemniter circumferatur, et publice exponatur, quae omnia, hoc insequenti canone, complexa est Synodus Trid.: *Si quis dixerit in sancto Eucharistiae Sacramento Christum . . . . non esse cultu latriae etiam externo adorandum, atque ideo . . . . neque in processionibus . . . . solemniter circumgestandum; vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, anathema sit*: hujusce dogmatis expositionem duabus subjectis propositionibus comprobare praestat.

---

(1) *Trid. Sess.* 13. *Can.* 11.
(2) *Trid ibidem.*
(3) *Trid. ibid.*

Prop. I.

Supremus Latriae cultus Christo debetur in SS. Eucharistiae Sacramento.

Unum Deum supremo latriae cultu prosequendum esse, alias ostendimus auctoritate Scripturae, quae sic nos edocet: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (1): Christum porro Deum esse, atque in Eucharistia sub speciebus panis, et vini realiter existere, alibi rursus demonstravimus; nemini igitur dubium esse potest, quin latriae cultus Eucharistiae sit exhibendus.

Prop. II.

In solemnibus quibusdam supplicationibus pie, ac religiose circumgestatur Eucharistia, et in Templis Fidelium oculis publice exponitur.

Solemnis enim haec pompa, est veluti publica quaedam professio, qua fideles Christum in Eucharistia realiter, ac substantialiter praesentem, tanquam Supremum omnium Regem, summa animi laetitia recognoscunt.

Prob. altera pars: In Ecclesia universa semper mos obtinuit, ut quibusdam in occasionibus palam exponeretur Eucharistia ad excitandam, atque inflammandam fidelium fidem, ac pietatem; igitur *Disputare quia ita faciendum sit, insolentissima esset insania*, ut hanc in rem praeclare advertit D. Augustinus (2), disserens de consuetudine aliqua, quae in universa viget Ecclesia.

DE EUCHARISTIA

PROUT EST SACRIFICIUM.

Quae divina atque Catholica docet fides de Missae

(1) *Matt. Cap.* 4.
(2) *Epistola* 54, *ad Januarium.*

Sacrificio in tria capita partiemur. I. De Existentia, et Essentia Sacrificii Missae. II. De Ministro, ac de iis, pro quibus illud offerri potest. III. Tandem de Missis privatis nonnulla dicemus.

CAP. I.

De Existentia, et Essentia Sacrificii Missae.

Quid, et quotuplex est Sacrificium.

R. Sacrificium si in universum sumatur, *Est oblatio externa soli Deo facta a legitimo ministro, qua res sensibilis in testimonium supremi illius dominii in omnes creaturas, physice, aut mystice mutatur, vel prorsus destruitur.* Hoc porro quadruplex a Theologis communiter distinguitur, scilicet *Latreuticum*, quod eo spectat, ut supremum Deo cultum et honorem exhibeat: *Propitiatorium*, quo placatus Dominus, donum poenitentiae obtinetur, unde crimina etiam ingentia dimittuntur . . . . *Eucharisticum*, quo gratiae Deo aguntur pro beneficiis acceptis: *Impetratorium* denique, quod pro gratiis a Deo accipiendis offertur:

PROP. I.

Divina, et Catholica fides docet Eucharistiam esse verum, ac proprie dictum Sacrificium.

Exponitur, et demonstratur propositio. Deleto Sacerdotio Levitico, quod ob sui imbecillitatem homines ad perfectionem non perducebat, alius Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech surrexit Christus Dominus, qui licet seipsum, morte intercedente, in ara Crucis Deo Patri erat oblaturus, ut aeternam redemptionem operaretur; attamen quia per mortem, Sacerdotium ejus non erat finiendum, in ultima Coena, reliquit Ecclesiae suae visibile Sacrificium, quod cruentum illud in cruce semel peractum repraesentaret, ejusque memoriam usque ad consummationem saeculi per-

petuaret, ac mirabilis ejusdem virtus applicaretur in remissionem peccatorum, quae quotidie admittuntur: Christus igitur declarans se esse Sacerdotem in aeternum, in novissima Coena obtulit Deo Patri sub speciebus panis, et vini Corpus, et Sanguinem suum, ac sub iisdem speciebus. Apostolis, quos tunc constituit Sacerdotes novi testamenti, tradidit, inquiens: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis funditur* (1). Ecce oblatio vittimae, idest Corporis, et Sanguinis Christi; oblatio quidem incruenta, et munda, quam in toto orbe offerendam praedixit Malachias (2): Hinc merito Tridentini Patres pronunciarunt: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, ac proprium Sacrificium . . . . anathema sit* (3).

Corollaria

I. Igitur Sacrificium altaris est incruentum, quia victima, idest Christus, non mactatur physice: *Quoniam Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* (4), sed immolatur mystice, quae quidem mystica immolatio sufficit ad Sacrificium incruentum: rursus immolatio mystica in Eucharistia habetur, cum panis, et vinum seorsim consecrantur, quo fit, ut *vi verborum*, quemadmodum supra dictum est, solum Corpus sub specie panis, et solus Sanguis sub specie vini constituitur; en quomodo Corpus, et Sanguis Christi mystice separantur, et Christus in statu mortis repraesentatur.

II. Ex dictis quoque colligitur Incruentum Sacrificium altaris, non esse injuriosum Cruento Crucis Sacrificio: Illud enim ab isto omnem vim suam mutuatur, et applicat nobis merita a Christo comparata per Sacrificium cruentum in ara Crucis: Quare Tridentinum statuit: *Si quis dixerit blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto per Missae*

(1) *Luc. Cap.* 22. *juxta graecum textum.*
(2) *Cap. I.*
(3) *Sess.* 22. *Can.* 1.
(4) *Ad Rom. Cap.* 6.

Sacrificium, *aut illi per hoc derogari, anathema sit* (1).

III. Denique constat Sacrificium Missae, non esse aliud a Sacrificio Crucis: (2) *Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*; siquidem illud in cruce fuit cruentum, hoc vero in altari est incruentum.

Prop. II.

Sacrificium Eucharistiae, non solum est Latreuticum, et Eucharisticum, sed etiam Propitiatorium, et Impetratorium.

Cum in Sacrificio Altaris idem ille Christus contineatur, et incruente immoletur, qui in Cruce seipsum cruente obtulit (3), nemo inficias ire poterit, quin per incruentam Christi oblationem in Sacrificio Eucharistiae, Ecclesia supremum Dei in res universas dominium confiteatur, atque ideo ipsi supremum latriae cultum exhibeat: porro per ipsum Christum victimam et Sacerdotem seipsum offerentem Deo Patri ministerio Sacerdotum, Ecclesia pro donis acceptis gratias Deo rependit: rursus in Eucharistiae Sacrificio *Offert se ipse Christus, quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat* (4), idest Christi oblatione placatur Dominus, sicque auxilium gratiae, contritionem cordis, et spiritum poenitentiae impetramus, quibus gratiae augmentum, remissionem peccatorum, et justificationem, Deo miserante, consequimur. (5) Quocirca Trid. Synodus sic statuit: *Si quis dixerit Missae Sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium . . . . anathema sit* (6).

(1) *Sess.* 22. *Can.* 4.
(2) *Trid. Synod. Sess.* 22.
(3) *Trid. Sess.* 22. *Cap.*
(4) *S. Ambrosius Lib.* 1. *de Officiis Cap.* 48.
(5) *Trid. Sess.* 22. *Cap.* 2.
(6) *Sess.* 22. *Can.* 3.

Corollarium

Hinc Sacrificium Missae non *immediate* remittit peccata, sed *mediate*, quatenus impetrat media, scilicet contritionem, ac susceptionem Sacramenti poenitentiae, quibus peccatum condonetur.

CAP. II.

De Ministro Sacrificii Missae, et de iis pro quibus offerri potest.

Prop. I.

Solus Sacerdos est Minister Sacrificii Missae.

Christus in ultima Coena injunxit Apostolis, et in eorum persona, omnibus, qui deinceps consecrandi erant Sacerdotes, ut Corpus, et Sanguinem suum sub speciebus panis, et vini offerent, atque offerendi potestatem facerent suis in Sacerdotio successoribus; nam cum eos allocutus fuit, his verbis; *Hoc facite in meam commemorationem*, praecepit, ut Sacrificium incruentum offerretur, quemadmodum *Semper Ecclesia Catholica intellexit*, *et docuit* (1). Hoc fidei dogma sic definivit Trid. Synodus: *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit* (2).

---

(1) *Trid. Sess.* 22. *Cap.* 2.
(2) *Sess.* 22. *Can.* 2.

PROP. II.

Ex Apostolica traditione fides docet pie, et utiliter, non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis, qui in igne purgatorio detinentur, Sacrificium altaris offerri.

Sacrificium Altaris pro defunctis offerri posse, ab Apostolis accepit Ecclesia, quae a suis incunabulis incruentam Christi oblationem defunctis utilissimam esse persuasum habuit: id testatur Chrysostomus, inquiens: *Non frustra haec ab Apostolicis legibus sunt constituta, ut in venerandis, atque horrificis Mysteriis, memoria eorum fiat, qui decesserunt, noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis* (1). Hinc Tridentinum Concil. ita definiit: *Si quis dixerit Missae Sacrificium . . . . pro vivis, et defunctis . . . . offerri non debere, anathema sit* (2).

SCOLION

Catholicorum fides est, Missae Secrificium pro iis, qui extra Ecclesiae sinum obierunt, offerri non posse, ut expresse monet D. Augustinus: *Noli credere, nec dicere, Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse catholicus* (3).

PROP. III.

Sacrificium Missae nec Sanctis offerri potest, nec pro Sanctis ad eorum subsidium; bene vero, ut grates Deo rependantur pro donis in eos collatis, et ut suis apud Deum precibus nos juvent.

Prob. prima pars: Cum enim Sacrificium sit Latriae

(1) *Homil*. 3. *in Cap*. 1. *Epist. ad Philip.*
(2) *Sess*. 22. *Can*. 3.
(3) *Lib*. 3. *de Orig. Animae. Cap*. 12.

cultus, qui uni Deo debetur, Sanctis proinde deferri non potest: divinam hanc doctrinam, sic confirmat Trid. Synodus: *Quamvis in honorem, et memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit* (1).

Prob. altera pars: Sanctis, qui jam plena securitate Coelesti patria fruuntur nihil poenae, aut culpae superest luendum; adeoque pro illorum subsidio Sacrificium offerre non licet.

Prob. tertia pars: Ecclesia a primo sui ortus Sacrificium pro Sanctis eo fine obtulit, ut, et Deo ageret gratias pro collatis in eos meritis, et ut ipsi suis apud Deum suffragiis Christianos adjuvarent: ita rem exponit S. Cyrillus Hierosolym: *Cum hoc Sacrificium offerimus . . . . mentionem facimus . . . . . primum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus, et legationibus orationem nostram suscipiat.* Qua de re, hunc fidei articulum, sic statuit Trid Synodus: *Si quis dixerit imposturas esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit anathema sit* (2).

CAP. III.

De Missa Privata.

PROPOSITIO.

Licita est Missa privata, in qua solum Sacerdos Eucharistiam sumit.

Missa privata veram Sacrificii rationem habet, in ea enim sub speciebus panis, et vini Corpus, et Sanguis Christi offertur; nec unquam apud Evangelistas, vel Apostolos legimus Christum mandasse, ut qui erant Sa-

(1) *Sess.* 22. *Cap.* 3.
(2) *Sess.* 22. *Can.* 5.

crificio altaris adfuturi, sacram Eucharistiam sumerent: Hinc Tridentini Praesules sicut optarunt, ut fideles cum intersunt Missae, participes fiant Corporis Christi, ita anathemate percellunt eos, qui dixerint: *Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas* (1).

Scholion.

Missa privata, cujus modo meminimus; vere communis censenda est, tum quia populus in ea spiritualiter communicat, tum quia *a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent* (2), *celebretur*.

Tria scitu maxime digna hic addenda, quae Missae Sacrificium spectant a Tridentina Synodo statuta.

I. Ex vetustissimorum Patrum sententia nunquam licitum est vulgari lingua Missam celebrare: sed cuique Ecclesiae in peragendo Missae Sacrificio antiquus servandus est ritus adprobatus a *S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra* (3); Hinc *si quis dixerit . . . . vulgari tantum lingua missam celebrari debere . . . . anathema sit* (4).

II. Missae Canonem, sive ordinem, et ritum in absolvendo Missae Sacrificio servandum, utpote partim ex verbis Domini, partim ex Apostolorum traditionibus, et SS. Pontificum piis institutionibus conflatum, ab omni prorsus errore immunem esse, Catholica tenet Ecclesia; cum in eo nihil habeatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem redoleat, mentesque fidelium in Deum erigat: *Quare si quis dixerit Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit*; ita declarat Trid. Synodus (5).

III. Demum, Sacras caeremonias, quibus Euchari-

(1) *Sess.* 22. *de Sacrif. Miss. Can.* 8.
(2) *Trid. Synod. Sess.* 22. *Cap.* 6.
(3) *Trid. Synod. Sess.* 22. *Cap.* 8.
(4) *Ibid. Can.* 9.
(5) *Sess.* 22. *Can.* 6.

stici Sacrificii majestas commendatur, utpote ex Apostolica disciplina, et traditione invectas summa religione esse retinendas, Catholica statuit Ecclesia in Trid. Synodo, quae sic contra heterodoxos definiit: *Si quis dixerit caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum Celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit* (1).

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Ut in gravissima hac nostri operis parte, quam aggredimur perspicuum ordinem servemus. I. De Existentia Sacramenti Poenitentiae. II. De illius Materia. III. De Contritione. IV. De Confessione. V. De Satisfactione. VI. De Forma, seu Absolutione. VII. De Ministro. VIII. Denique de ejusdem Effectibus disseremus.

Q. Quid est Poenitentia?

R. Poenitentia duplici ratione consideratur, et ut *Virtus*, et ut *Sacramentum*: primo modo inspecta, definitur juxta Catechis. Rom. *Virtus, qua excitatur homo ad odium, ac detestationem peccati cum firmo ineundae melioris vitae proposito, peccatique vindicta ad compensandam injuriam divinae majestati illatam*: Poenitentia hoc sensu accepta, fuit quovis tempore homini lapso necessaria *necessitate medii* ad obtinendam peccatorum veniam; iis namque promisit Deus criminum remissionem, qui poenitentiae virtutem habuerint: *Si impius*, inquit, *egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, et non morietur* (2). Si vero illa spectetur, *ut Sacramentum*, definitur *Ritus sacer, quo*

(1) *Sess.* 21. *Can.* 7.
(2) *Ezechiel. Cap.* 18.

lapsis post baptismum contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus, absolutio a peccatis impenditur a Sacerdote.

CAP. I.

De Existentia Sacramenti Poenitentiae.

PROP. I.

Fides Catholica docet Ecclesiae collatam esse potestatem remittendi omnia peccata, quae post baptismum a fidelibus committuntur.

CHristus alloquens Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, ac proinde Ecclesiam, inquit: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos . . . Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (1). Ergo Ecclesiae contulit potestatem remittendi omnia prorsus peccata etiam gravissima: Christus enim hic *distinctionem non facit*, *qui . . . relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit* (2). Si qui contra sentirent, Montanistis, ac Novatianis accenserentur ab Ecclesia damnatis.

PROP. II.

Ritus externus, per quem Ecclesia exercet potestatem sibi a Christo traditam remittendi peccata post baptismum commissa, est verum novae legis Sacramentum.

IN Sacramento novae legis tria requiruntur, scilicet signum sensibile, institutio divina, et virtus producendae gratiae; in Sacramento autem poenitentiae adest. I. Signum sensibile, tum ex parte poenitentis peccata

(1) *Joan. Cap.* 20.
(2) *S. Ambros. Lib.* 1. *de Poenit. Cap.* 3.

sua confitentis, atque intimum animi sui dolorem aperientis, tum ex parte Sacerdotis per certa quaedam verba absolventis. II. Extat divina institutio, Christi verbis expressa: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (1), *et Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (2), quibus sane verbis Christum instituisse Sacramentum poenitentiae, *Universorum Patrum consensus semper intellexit*; ut scite advertunt Tridentini Praesules. III. Denique existit vis conferendae gratiae; cum sine gratia sanctificante, remitti nequeant peccata: hujusmodi fidei articulum, sic statuit Trid. Synodus: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica, poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum . . . anathema sit* (3).

SCHOLION

Fides docet Sacramentum poenitentiae pluribus a baptismo rationibus differre: nam praeterquamquod haec duo Sacramenta diversam habent materiam, et formam, diversum ministrum, ac subjectum, diversasque proprietates, ut constat ex his, quae de Baptismo diximus; certe cuique exploratum est, alium esse Baptismi, alium Poenitentiae fructum: *Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem, et integritatem per Sacramentum poenitentiae sine magnis nostris fletibus, et laboribus . . . pervenire nequaquam possumus* (4). Catholicam hanc doctrinam Trid. Synodus hoc canone complexa est: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta, distincta non sint . . . anathema sit* (5).

---

(1) *Matth. Cap.* 18.
(2) *Joan. Cap.* 20.
(3) *Sess.* 14. *Can.* 1.
(4) *Sess.* 14. *Cap.* 2.
(5) *Sess.* 14. *Can.* 2.

CAP. II.

De Materia Sacramenti Poenitentiae.

DUplex distinguitur materia Sacramenti poenitentiae, alia scilicet *remota*, circa quam versatur virtus Sacramenti; alia vero *proxima*, ex qua illud componitur.

Materia *remota* sunt peccata post baptismum commissa, quia circa ea delenda omnem vim suam exerit poenitentiae Sacramentum: circa peccata gravia, tanquam materiam *necessariam*: circa levia, veluti materiam *liberam*, et *sufficientem*; et quidem *liberam*, quia *venialia taceri citra culpam*, *multisque aliis remediis expiari possunt*, ut inquit Concil. Trident. (1): *Sufficientem* vero, quia Christus Sacerdotibus potestatem impertivit remittendi omnia omnino peccata, nullo excepto.

Q. Quaenam igitur est materia proxima hujus Sacramenti?

R. Licet de materia proxima hujus Sacramenti nihil adbuc expresse definitum sit ab Ecclesia: communis tamen theologorum sententia est, materiam proximam Sacramenti poenitentiae positam esse in actibus poenitentis, ut ait Trid. Synodus: *Sunt quasi materia hujus Sacramenti*, *ipsius poenitentis actus*, *nempe Contritio*, *Confessio*, *et Satisfactio . . . et partes poenitentiae dicuntur* (2). Porro Tridentini Patres actus praedictos poenitentis appellarunt *quasi materiam*, non quod materiae rationem non habeant, sed quod ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut Aqua in Baptismo, et Chrisma in Confirmatione, ita monet Catechis. Rom. (3). Illud tamen ad fidem omnino pertinet, nimirum: *Ad integram*, *et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente*, *quasi ma-*

(1) *Sess.* 14. *Cap.* 5.
(2) *Sess.* 14. *Cap.* 5.
(3) *De Sacr. Poenit. num.* 17.

teriam Sacramenti poenitentiae, *videlicet Contritionem*, *Confessionem*, *et Satisfactionem*, ita Trid. (1).

CAP. III.

De Contritione.

Q. Quid est Contritio?

R. Iuxta definitionem a Tridentino traditam: *Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* (2). Contritio igitur juxta Tridentini mentem est intima animi tristitia, quae non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed etiam veteris odium complecti debet (3).

COROLLARIA.

I. Hinc contritio sita est in interno animi dolore, non vero in externa sensuum motione; ait enim Deus: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (4).

II. Debet esse supernaturalis, non modo ut exoriatur a praevenientis Spiritus Sancti inspiratione, ut definit Trid. Synodus: *Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione . . . hominem . . . poenitere posse sicut oportet . . . anathema sit* (5); sed etiam ut excitetur ex motivo religionis, ac pietatis.

III. Contritio oportet, ut sit *Summa appretiative*, nimirum, ut poenitens paratus sit quodlibet malum potius subire, quam Dei legem rursus infringere.

IV. Ut sit *Universalis*, scilicet, ut omnia prorsus peccata respiciat, juxta illud Ezechielis: *Poenitentiam agite ab omnibus iniquitatibus vestris* (6).

---

(1) *Sess.* 14. *Can.* 4.
(2) *Sess.* 14. *Cap.* 4.
(3) *Trid. Synod. ibidem.*
(4) *Joelis Cap.* 2.
(5) *Sess.* 6. *Can.* 3.
(6) *Cap.* 18.

V. Contritio demum disjungi nequit *a Spe veniae*, qua poenitens confidat Deum sibi propter Christum propitium fore.

Q. Quotuplex est Contritio?

R. Alia est *perfecta*, alia *imperfecta*: illa est actio caritatis adeo vehementis, et incensae, quemadmodum loquitur Catechismus Rom., ut extra poenitentiae Sacramentum vim habeat reconciliandi, si modo conjuncta sit cum voto suscipiendi Sacramenti: haec vero, quae etiam dicitur *Attritio*, quaeque communiter concipitur, vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennae, et poenarum metu: *Si tamen voluntatem peccandi excludat cum spe veniae*, licet per se sine Sacramento poenitentiae peccatorem perducere nequeat ad justificationem, eum tamen *ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit* (1).

§. I.

De Contritione Perfecta.

P R O P. I.

Contritio perfecta semper hominem Deo reconciliat, antequam suscipiatur Sacramentum, dummodo in illa includatur votum recipiendi Sacramenti.

PRopositam veritatem his verbis docuit Trid. Synodus: *Etsi contritionem aliquando perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* (2). Ergo etc.

(1) *Trid. Synod. Sess.* 14. *Cap.* 4.
(2) *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 4.

Cave tamen putes contritionem hanc caritate perfectam, necessario esse afferendam ad poenitentiae Sacramentum: alioquin hoc Sacramentum semper peccatorum remissionem efficeret sui voto, ac desiderio, nunquam vero sui usu, et applicatione; quo nihil ineptius, et absurdius fingi posset.

§. II.

De Contritione Imperfecta, seu Attritione.

Ex definitione Attritionis superius tradita, duo manifestissime conficiuntur.

I. Attritionem conceptam ex gehennae, et poenarum metu esse donum Spiritus Sancti, non quidem inhabitantis, sed moventis: *Quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat* (1): *Timor* enim inquit D. Augustinus, *quasi locum praeparat Caritati . . . ideo timor intrat, ut caritatem introducat* (2) idest justitiam conferat; proinde Lutheri doctrinam, quod ad hoc argumentum attinet, merito proscripsit Trid. Synodus, hoc canone (3): *Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

II. Attritionem ex solo poenarum metu conceptam, non sufficere ad justificationem obtinendam in Sacramento poenitentiae; illa enim una, non aufert peccandi voluntatem, quae solum extinguitur *contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur* (4); amvero ad consequendam justificationem in Sacramento

(1) *Trid. ibidem.*
(2) *Tract. 9. in Epistolam Joan.*
(3) *Sess. 6. de Justif. Can. 8.*
(4) *D. Augustinus Lib. 2. contra Adversarios Legis Cap. 7.*

poenitentiae excludatur necesse est peccandi voluntas. Ergo etc.

Cum vero hac in re nihil aperte definierit Concilium Tridentinum, nonnulli inter Catholicos docuerunt attritionem ortam ex uno poenarum metu gehennae *sufficere* in Sacramento poenitentiae, quorum opinio *licet sit probabilis, tamen non est certa, et potest esse falsa*, ut monet Franciscus Suarez. (1) Quare cum in rebus dubiis, et maxime in Sacramentis administrandis, juxta universalis Ecclesiae doctrinam, tutior opinio sit eligenda, sequitur eorum sententiam, qui docent attritionem ex metu profectam *sufficere* in Sacramento poenitentiae, esse prorsus in praxi abjiciendam, nullam tamen theologica censura notandam: et contra amplectendam saniorum Theologorum doctrinam, quam insequenti propositione ostendemus.

P R O P O S I T I O.

Inchoata caritas in poenitente requiritur, ut justificationem consequatur in Sacramento poenitentiae.

HAnc veritatem sacris litteris prodidit Deus, cum inquit: *Qui non diligit, manet in morte* (2). Igitur sine aliqua caritate erga Deum, spiritalem animae vitam, idest justificantem gratiam recuperare nemo poterit: Ad haec Tridentina Synodus declaravit Catechumenos, non censeri rite dispositos ad justificationem in baptismo comparandam, nisi incipiant diligere Deum, tanquam omnis justitiae fontem (3); jamvero poenitentia baptismus est laboriosus, qui proinde non minorem postulat dispositionem, quam quae in baptismo requiritur. Ergo etc.

(1) *Tom. 4. in tert. Part. D. Thomae Quaest.* 90. *art. 4. Disput.* 15. *Sect.* 4. *n.* 17.
(2) *I. Joan. Cap.* 3.
(3) *Sess. 6. de Justif. Cap.* 6.

Corollarium.

Cum itaque ex Catechismo Rom. contritio perfecta ea sit, quae profluit ex caritate vehementi, acri, et incensa, inde conficitur contritionem imperfectam eam esse, quae ex caritate remissa, initiali, et minus vivida, dimanat.

CAP. IV.

De Confessione.

Q. Quid est Confessio?

R. Est Accusatio peccatorum Sacerdoti facta, ut eorum remissio virtute clavium obtineatur.

Prop. I.

Confessio Sacramentalis instituta est a Christo.

Cum Christus Apostolos alloquens, dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* (1) his verbis et Apostolos, et eorum in Sacerdotio successores instituit judices, qui juxta Ecclesiae regulas fidelium peccata remitterent, aut retinerent: jamvero hujusmodi judicium fieri nequiret, nisi Christus instituisset quoque confessionem Sacramentalem, qua poenitentes suae conscientiae latebras Sacerdotibus aperirent: Hinc Trid. Synodus definiit: *Si quis negaverit Sacramentalem confessionem . . . . institutam . . . esse jure divino, anathema sit* (2).

Corollarium.

Cum sacramentalis confessio jure divino sit instituta, eodem jure necessaria est iis, qui post baptisma, in gravia crimina lapsi sunt, ut definivit Trid. Concilium:

(1) *Joan. Cap.* 20.
(2) *Sess.* 14. *Can.* 6.

Si quis negaverit confessionem sacramentalem . . . ad salutem necessariam esse jure divino . . . anathema sit (1) . Huic divinae legi explicandae accessit Ecclesiae mandatum, quae in Synodo Later. sub Innoc. III. statuit, ut *Omnis utriusque sexus fidelis*, *postquam ad annos discretionis pervenerit*, *omnia sua peccata saltem in anno confiteatur fideliter proprio Sacerdoti.*

S c h o l i o n.

A primis Ecclesiae saeculis in more positum fuit, ut poenitentes secreto confiterentur Sacerdoti peccata sua, cujus rei fidem faciunt Origenes (2), Cyprianus (3), Gregorius Nyssenus (4), D. Augustinus (5), aliique Patres: Locupletissima traditionis Ecclesiae hac super re monumenta proferuntur a Theologis Polemycis: atque hinc constat, *Modum secrete confitendi soli Sacerdoti*, *quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit*, *et observat*, *non esse alienum ab institutione*, *et mandato Christi*, ut loquitur Trid. Synodus, quae anathema indixit iis, qui contra sentirent (6).

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad legitimam confessionem?

R. Plures, quas recensent, ac fuse exponunt Theologi Morales: inter eas vero in primis enumeratur *Integritas*, quae sacramentalem confessionem necessario comitari debet: eaque duplex distinguitur, *Materialis* una, qua quis omnia prorsus confitetur peccata, quorum reus est; *Formalis* altera, qua ea accusantur peccata, quorum quis post diligens examen reminiscitur.

---

(1) *Ibidem.*
(2) *Homil.* 2. *in Levit.*
(3) *Lib. de Lapsis.*
(4) *Tom.* 1. *pag.* 963.
(5) *Enarrat. in psal.* 66.
(6) *Sess.* 14. *Can.* 6.

P r o p. II.

Ad legitimam Confessionem non requiri materialem *integritatem*, *Tridentini Praesules docuerunt.*

Synodus Tridentina, ut suadeat sacramentalem confessionem non esse impossibilem, nec conscientiarum carnificinam, quemadmodum somniabant haeretici, docet: *Nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes, et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus cum Propheta dicimus, ab occultis meis, munda me Domine* (1).

P r o p. III.

Fides docet integritatem formalem *requiri ad Sacramentalem Confessionem.*

Cum Christus Dominus reliquerit Sacerdotes sui ipsius Vicarios, qui ex potestate clavium circa retinenda, aut remittenda peccata sententiam ferrent; cum hoc judicium, incognita caussa, exerceri non possit, oportuit, *poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta commissa* (2): ad Confessionem igitur jure divino *formalis* integritas requiritur.

S c h o l i o n.

Cum poenitentes jure divino teneantur non *in gene-*

(1) *Sess.* 14. *Cap.* 5.
(2) *Trident. Ibidem.*

re, sed in *specie*, ac singillatim peccata sua aperire Sacerdoti, siquidem ad remissionem peccatorum in Sacramento poenitentiae consequendam, necessarium est confiteri omnia, et singula peccata mortalia, ut definivit Concil. Tridentinum (1), inde sequitur aliud fidei dogma statutum ab eadem Synodo, nimirum: *Eas peccatorum circumstantias, quae speciem peccati mutant* (2), *in confessione explicandas esse*; secus nec integra esset confessio, nec proinde peccata rite innotescerent Sacerdoti; qui propterea nec de illorum gravitate recte judicare, nec poenam pro eorumdem qualitate imponere posset: *Si quis* igitur, *dixerit in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum non esse necessarium jure divino confiteri circumstantias, quae peccati speciem mutant . . . anathema sit* (3).

CAP. V.

De Satisfactione.

Q. QUid est Satisfactio?

R. Est Castigatio peccati Sacerdote inflicta ad resarciendam injuriam Deo per peccatum illatam: hac praenotata definitione, quid de hoc argumento Catholica tenet Ecclesia, subjecta propositione exponemus.

PROPOSITIO.

Falsum omnino est, et a Verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur.

PErspicua sane, et illustria in sacris litteris, praeter

(1) *Sess.* 14. *Can.* 7.
(2) *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5.
(3) *Trid. Sess.* 14. *Can.* 7.

traditionem, exempla reperiuntur, quibus ostenditur dimisso reatu peccati, ac poenae aeternae, non semper remitti totam poenam temporalem: id constat exemplo Davidis, qui etsi reatus sui veniam obtinuerit, graviter tamen Deus in eum animadvertit, cum e vivis eripuerit filium ex adulterio conceptum, quem David maximo prosequebatur amore: Rursus Catholica fides est, purgatorium locum exstere, in quo defunctorum animae, licet justificante gratia praeditae, persolvunt tamen poenas temporales peccatis suis debitas: merito igitur Trid. Synodus statuit; *Si quis dixerit post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro . . . antequam aditus ad regna coelorum patere possit, anathema sit* (1) Ergo etc.

COROLLARIUM.

Igitur poena temporalis, quae condonato reatu peccati, superest luenda, potest redimi laboriosis poenitentiae operibus: D. enim Ambrosius, cui consentiunt reliqui Patres, inquit: *Compensatione caritatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati poena dissolvitur* (2). Et sane laboriosa poenitentiae opera veram habent rationem satisfactionis, ut declaravit Trid. Synodus, his verbis: *Si quis dixerit pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus . . . anathema sit* (3). Atque hinc per se quisque dignoscere potest, quam necessaria sint satisfactionis opera, quae Scriptura praecipit, in-

(1) *Sess.* 6. *de Justif. Can.* 30.
(2) *Lib.* 7. *in Luc.*
(3) *Sess.* 14. *de Poenit. Can.* 13.

quiens: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae* (1). Huic divinae sententiae concinunt Patres, quos inter D. Augustinus maxime ita loquitur: *Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum* (2). Ea denique semper, et ubique a peccatoribus exigere consuevit Ecclesia, ut testantur Canones Poenitentiales, Librique Rituales.

S C H O L I O N.

Quae modo Catholica circa Satisfactionem exposita est doctrina, nihil derogat satisfactioni Christi, a quo nostra satisfactionis opera omnem virtutem mutuantur: *Omnis igitur nostra gloriatio in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes dignos fructus poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre* (3). Quare a meritis Christi, ejusque liberalitate proficiscitur quidquid boni operis suscipiunt poenitentes, quo satis Deo faciant.

CAP. VI.

De Forma Sacramenti Poenitentiae, seu Absolutione.

Q. QUaenam est forma Sacramenti poenitentiae?

R. Forma his verbis comprehenditur, quae a Sacerdote proferuntur: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: hujusmodi enim verba satis exprimunt Sacramenti effectum, ut docet Concil. Tridentinum (4), inquiens: *Sacramenti*

---

(1) *Apud Matt. Cap.* 3.
(2) *Serm.* 351.
(3) *Sess.* 14. *Cap* 8.
(4) *Sess.* 14. *Cap.* 3.

poenitentiae formam, *in qua praecipue ipsius vis sita est*, *in illis Ministri verbis positam esse*: Ego te absolvo etc. Hinc colligere fas est, preces, quae vel antevertunt, vel subsequuntur praedictam absolutionis formam, ad ipsius essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius Sacramenti administrationem esse necessarias (1).

PROPOSITIO.

Illud hac in re fides proponit credendum, scilicet Sacerdotem pronuntiantem absolutionis formam, non declarare solum peccata jam esse a Deo remissa, sed eadem vere remittere, auctoritate divinitus accepta.

CUm enim Christus contulit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus potestatem remittendi peccata, non dixit: *Quorum declaraveritis peccata esse remissa*; *sed quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*: et quidem Sacramentum poenitentiae actus est judicialis, quo ab ipso Sacerdote velut a Judice sententia fertur: haec semper fuit Ecclesiae fides, quam hoc Canone complexi sunt Tridentini PP.: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem, non esse actum judicialem*, *sed nudum ministerium pronunciandi*, *et declarandi peccata esse remissa confitenti*. . . *anathema sit* (2).

CAP. VII.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

PROPOSITIO.

Solus Sacerdos est legitimus minister Sacramenti poenitentiae.

SOlis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus

(1) *Trid. ibidem.*
(2) *Sess. 14. Can. 9.*

dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; idque adeo verum est, ut universorum Patrum consensus semper intellexerit, illis, et non aliis communicatam esse potestatem remittendi et retinendi peccata, ut testantur Tridentini Patres (1), qui ad stabiliendum hoc fidei dogma, canonem hunc condiderunt: *Si quis dixerit . . . non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum . . . Quorum remiseritis peccata remittuntur eis . . . anathema sit* (2).

Scholion

Oportet duplici potestate sit insignitus Sacerdos, ut valeat fideles a peccatis solvere: potestate nimirum *Ordinis*, quam omnes omnino Sacerdotes aeque in sua ordinatione accipiunt: et insuper potestate *Jurisdictionis*, qua Sacerdos legitimus judex constituitur, ut in alterum tanquam sibi subditum ferre possit sententiam, ejus peccata vel remittendo, vel retinendo: hanc doctrinam declarant Tridentini Praesules, cum inquiunt: *Persuasum semper fuit in Ecclesia Dei . . . nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem* (3).

CAP VIII.

De Effectibus Sacramenti Poenitentiae.

I. Ex hactenus dictis cuique compertum fit Sacramenti poenitentiae virtutem ejusmodi esse, ut praeterita peccata deleat, non solum quod ad culpam, sed etiam quod ad poenam aeternam attinet, animae scili-

(1) *Sess.* 14. *Cap.* 1.
(2) *Sess.* 14. *Can.* 10.
(3) *Apostolus ad Galat. Cap.* 3.

cet communicando justificantem gratiam, qua poenitens evadit filius Dei adoptivus, sibique comparat jus ad aeternam beatitudinem.

II. Bonorum operum merita, quae lethalibus culpis fuerant extincta, ope Sacramenti poenitentiae reviviscere; id enim docuit Apostolus scribens ad Galatas, quos redarguens, quod fide Christi non sine multis laboribus suscepta, iterum ad Mosaicae legis servitutem redierant, inquit: *Tanta passi estis sine caussa? si tamen sine caussa* (1), quibus verbis significavit labores, quos tulerunt Galatae pro Christi fide amplectenda, sine mercede non esse futuros, si abjecta rursus Mosaicae legis observantia, ad pristinam fidem reverterentur; apprime D. Hieronymus in hanc Apostoli sententiam, sic scribit; *Quicumque ob fidem Christi laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine caussa dicitur passus fuisse, dum peccat: sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem, et antiquum studium revertatur.* (2)

APPENDIX

De Indulgentiis, ac de Purgatorio.

Q. Quid est Indulgentia?

R. Juxta doctrinam Ecclesiae definiri potest: *Remissio aliqua poenae temporalis, quae post culpae condonationem luenda superest, ab eo facta, qui potestatem habet dispensandi Caelestem Ecclesiae Thesaurum.*

Q. Quaenam hac in re credenda nobis proponit Ecclesia Catholica?

R. Duo I. Potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessam esse II. Indulgentiarum usum populo Christiano maxime salutarem, et utilem esse (3)

---

(1) *Apostolus ad Galat. Cap.* 3.
(2) *In Cap.* 3. *Epist. Ad Galat.*
(3) *Concil. Trid. Sess.* 25. *Decret. de Indulgen.*



P r o p. I.

Potestas concedendi indulgentias divinitus tradita est Ecclesiae.

HAc potestate fruitur Ecclesia virtute Clavium, quas Christus pollicitus est Petro Ecclesiae Capiti, ejusque in officio Successoribus, ut legimus apud Matth. (2): *Tibi dabo claves regni Coelorum, quodcumque solveris super terram erit solutum, et in Coelis*; quae sane verba juxta communem Patrum doctrinam intelligenda sunt, non modo de potestate remittendi peccata, quod ad culpam spectat, et poenam aeternam, sed etiam de facultate relaxandi, ope indulgentiarum, poenas temporales, quae post dimissam culpam luendae supersunt.

S c h o l i o n

Duo sunt poenarum genera, quae indulgentiarum beneficio ab Ecclesia relaxantur; aliae enim poenae post remissionem culpae, et poenae aeternae, sunt Deo persolvendae, quaeque pro qualitate criminum a Confessariis imponuntur: aliae vero, quibus ex Canonum statuto subjici oporteret poenitentes: utrumque poenarum genus relaxandi facultatem habent Episcopi, ac in primis Rom. Pontifex totius Ecclesiae Caput; siquidem Concilium Nicaenum et hoc dedit Episcopis, ut indulgentias agere possent cum poenitentibus. (1)

P r o p. II.

Antiquissimus usus Indulgentiarum fidelibus est salutaris, et utilis.

Haec altera fidei veritas ex vetustissima Patrum tra-

(1) *Cap.* 16.
(2) *Can.* 11. et 12.

ditione constat: D. enim Paulus indulsit incestuoso Corinthio, cui excommunicationem relaxavit: *Ne abundantiori tristitia absorberetur* (1); Rursus ad preces Martyrum, publicae condonabantur poenitentiae, sicque deinceps in Ecclesia posterioribus saeculis factum est. Ergo etc.

SCHOLION.

Ut indulgentiarum usus sit salutaris, non debent poenitentes, illarum obtentu, eximi a laboriosis poenitentiae operibus, sed his serio vacare, quantum eorum vires patiuntur. Fides enim Catholica docet nos ad plenam, et integram peccatorum remissionem pervenire non posse; *Sine magnis nostris fletibus, et laboribus, divina id exigente justitia* (2). Nos vero lutea vasa portantes, huic divinae justitiae, ut oportet, satisfacere non possumus, tum ob imminutam caritatem, et Spiritus aegritudinem, tum vero ob vitae brevitatem; idcirco Ecclesia ex Thesauro sibi divinitus concredito meritorum Christi, B. Virginis, et Sanctorum, nobis indulgentiarum divitias tribuit, ut suppleat ea, quae desunt satisfactionibus nostris, quas per infirmitatem perficere nequimus. Poenitentes igitur, ut digni effici valeant Ecclesiae thesauro, quoad fieri potest, in id incumbere debent, ut Deo laboriosis operibus satisfaciant; ab Ecclesia enim indulgentiae in supplementum conceduntur.

Q. Quaenam est vis, ac ratio thesauri, unde Ecclesia haurit Indulgentiarum divitias.

R. Fide constat, nullam fieri posse culpae, vel poenae remissionem, nisi per Christi merita, quae infinita pollent virtute, ex qua quidquid meriti nobis inesse potest, recte ducitur: quare sicut merita nostra vim, ac dignitatem desumunt a Christi meritis, ita sa-

(1) *II. Ad Corinth. Cap.* 2.
(2) *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 2.

tisfactiones nostrae jure pendent a Christi satisfactionibus; adeoque ex meritis Christi velut in thesauro positis, ac divinae menti praesentibus, indulgentiarum vis *primario* desumitur: et licet thesaurus ex Christi meritis conflatus, sit inexhaustus, *congruenter* tamen et aliquo modo illi accedunt etiam merita, ac satisfactiones B. Virginis, et Sanctorum; nam cum omnium Christi membrorum sub uno Capite societas, caritatis vinculo sit colligata, hinc fit, ut omnium justorum opera, sint veluti singulorum propria, et in totius Corporis utilitatem collata; atque hoc pacto praeclare dignoscitur unio Mystici Corporis Ecclesiae cum Christo Capite, et perfecta Sanctorum communio; ita rem explicat Clemens VI. (1).

Hic apposite quaeri posset, num indulgentiarum cumulus, Animabus quoque in purgatorio detentis prosit: sed, ut hoc aliud doctrinae caput enodetur, animadvertendum est, Ecclesiam definitivo decreto non dum pronunciasse, indulgentias etiam Defunctis idest Animabus, quae in Purgatorio detinentur, prodesse; verum communis Theologorum sententia est, quam RR. PP. Sixtus IV. et Leo X. Lutheri doctrinam (2) anathemate percellentes, comprobarunt, Indulgentias nimirum etiam vita functos, quibus adhuc aliquid luendum superest, juvare quidem per modum suffragii, solutionis, ac satisfactionis, nequaquam vero per modum juridicae absolutionis, cum in animas a corpore sejunctas, nulla a Militanti Ecclesia exerceri possit jurisdictio. Hac arrepta occasione, abs re non erit, aliqua heic quam brevissime de Purgatorio subnectere.

---

(1) *In sua Extrav.* Unigenitus: *de Poenit. et Remissionibus.*

(2) *Memorati Pontifices Lutheranam doctrinam, quod ad Indulgentias attinet, his conceptam verbis, proscripserunt:* Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles, videlicet mortuis . . . infirmis etc.

DE PURGATORIO.

Quaedam in antecessum occurunt animadvertenda ut purgatorii doctrina luculentius pateat.

I. Ecclesia pro Sanctis visione Dei fruentibus preces non fundit, cum ab omni mali genere immunes ipsi sint: nec pro Damnatis orationes, vel sacrificia unquam offert, cum membra Christi non sint, et extra spem positi divinae misericordiae, ut monet D. Augustinus (1).

II. Praeter mortalia, esse quaedam peccata natura sua venialia, quae caritatem non extinguunt, de quibus legitur in Scripturis: *Septies cadit Justus*, pro quibus culpis vere justi precantur: *Dimitte nobis debita nostra*: sic idem S. Doctor (2).

III. Deus, ut alibi diximus peccatoribus vere poenitentibus, non semper omnem poenam dimittit, quae temporaliter luenda est.

IV. Plerumque fit, ut justi ex hac vita decedant, vel inquinati levioribus culpis, vel obstricti debito poenae temporalis, ut ipse D. Augustinus advertit (3).

His praenotatis: Sciendum est duas Catholicas veritates hac in re nobis proponi credendas.

Prima Veritas Catholica est, quam a Spiritu Sancto edocta universa profitetur Ecclesia ex sacris litteris, et constanti Patrum traditione, nimirum *Purgatorium existere*, quod aliud non est, nisi quaedam sedes, seu status Animarum quarumdam, quae ex hac vita migrarunt, in quo hujusmodi animae aliquo modo puniuntur, ut penitus expiatae, ad regna Coelorum aditus possit illis patere. Et sane doctrinam hanc statuunt divinae litterae utriusque foederis; nam in altero Machabaeorum Libro (4) legimus: *Sancta, et salubris est*

---

(1) *Serm. 17. de Verbis Apostoli, et in Enchirid. Cap.* 110.

(2) *In Enchirid. Cap.* 70.

(3) *Lib. I. De Civit. Dei Cap.* 24.

(4) *Cap.* 12.

congitatio pro defunctis exorare, *ut a peccatis solvantur*, idest a peccatorum poenis, quae passim in Scripturis peccata nuncupantur: rursus in novo foedere Purgatorii fidem apertissime firmavit Christus, illis verbis: *Qui autem dixerit* (verbum) contra *Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo*, *neque in futuro* (2), in qua sententia Christi *datur intelligi quasdam culpas in hoc saeculo*, *quasdam in futuro posse relaxari*; ita S. Gregorius (3), cui reliqui concinunt Ecclesiae Patres.

Altera Veritas Catholica juxta Apostolorum institutum, et a sanctis Patribus, ac sacris Conciliis perpetuo saeculorum ordine tradita, ita se habet: *Animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis adjuvari*, *maxime vero acceptabili Altaris Sacrificio* (4), ita Synodus Tridentina; quaenam vero sint haec suffragia, quae a vivis fidelibus absolvuntur, explicat ibidem eadem sancta Synodus, nimirum Missarum sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consuescunt. Hinc D. Augustinus absolute docet: *Non esse dubitandum Mortuos adjuvari orationibus sanctae Ecclesiae*, *et sacrificio salutari*, *et eleemosynis*, *quae pro eorum spiritibus erogantur* (5). Huic fidei Catholicae Capiti, utriusque Ecclesiae Patres subscripsere in Florentino Concilio, cujus haec sunt verba: *Si vere poenitentes in Dei caritate decesserint*, *antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint*, *eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari*, *et ut a poenis huiusmodi releventur*, *prodesse eis vivorum suffragia* etc. Haec est sana de Purgatorio doctrina, quae juxta Tridentinos Patres Christifidelibus credenda est, et a Pastoribus diligenter docenda, ac praedicanda.

(2) *Matth*. *Cap*, 12.
(3) *Lib*. 4. *Dialog*. *Cap* 39.
(4) *Sess*. 25. *Decret*. *de Purgat*.
(5) *Serm*. 32. *de Verbis Apost*.

COROLLARIA

I. Ex dictis liquet fidei dogma esse, in Purgatorio veram esse poenam, non solum *damni*, quae posita est in privatione temporali visionis Dei, sed etiam *sensus*, qualiscumque illa sit, quia saltem sensibilis dolor obdilatam beatitudinem, debet excruciare animam capacem possidendi Dei, ad quem flagranti caritate tendere ipsa debet, ex quo corpore decessit: hanc fidei veritatem produnt ipsa verba, quibus continente saeculorum serie ab Apostolis ad nos usque utuntur Patres in adstruenda Purgatorii existentia.

II. Communis Theologorum sententia est, et ab Ecclesia recepta verum, ac proprium ignem esse in Purgatorio, *et eiusdem speciei cum nostro elementari*; sed haec sententia *non est quidem de fide*, *quia nusquam ab Ecclesia definita est*; ut scite monet Card. Bellarm. (1).

III. Communis quoque Theologorum opinio est, locum Purgatorii in gremio Telluris delitescere: Verum id ad fidem non spectat, quia nunquam Ecclesia docuit, ubi sit positus Purgatorii locus; sic apprime advertit idem Cardinalis praeclarissimus (2).

IV. Licet apud omnes Theologos in confesso sit, Animas, quae in Purgatorio existunt, suae salutis certitudinem habere, adeo quidem, ut nemini Catholicorum liceat hanc sententiam aut respuere, aut impugnare, dogma tamen fidei non est: Plures enim magni nominis Theologi nunquam fuerunt ab Ecclesia proscripti, quod senserint quasdam animas in Purgatorio mulctari una poena omnium maxima, idest incertitudine salutis: cum etsi illae certo salvandae sint, id tamen eas ignorare docuerunt (1).

V. Quamvis communior inter Theologos sententia sit, *Culpas veniales dimitti in Purgatorio per actum*

---

(1) *Lib. 2. de Purgat. Cap. 10. et 11.*
(2) *Lib. 2. de Purgat. Cap. 6.*
(1) *Sic admonet Laudatus Bellarm. ibidem Ca. 4.*

dilectionis, *et patientiae* (1); Fides tamen non docet, num justis peccata venialia remittantur ante, vel post mortem, ita ad rem Bellarminus (3). Etenim illud unum definitum a Tridentino legimus, nimirum non ita remitti culpam, et reatum aeternae poenae deleri, ut nullus supersit reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro.

DE

SACRAMENTO

EXTREMAE UNCTIONIS.

POenitentiae proxime accedit Extremae Unctionis Sacramentum, quod totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a SS. Patribus, ut inquit Trid. Synodus (2). Hoc enim Sacramento Clementissimus Redemptor noster, praesentis vitae finem, tanquam firmissimo quodam praesidio, contra vehementes spiritualium hostium impetus communivit; ut igitur tam salutaris hujus remedii catholicam doctrinam, in apertam lucem breviter proferamus, a Tridentini Concilii institutis, ne latum unguem discedemus, ac I. De Natura, et Existentia. II. De Materia, et Forma. III. De Ministro. IV. De Necessitate, et Effectibus Sacramenti Extremae Unctionis, disseremus.

CAP. I.

De Natura, et Existentia Sacramenti Extremae Unctionis.

Q. QUomodo definitur Extrema Unctio?

(2) *Ita D. Thomas.*
(1) *Sess.* 14.

R. Sacramentum, quo praeter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia, quae necessaria sunt, ut aegrotus patienter ferat morbi incommoda, et corporis sanitatem recuperet, si id expedierit animae saluti.

Propositio

Extrema unctio est verum Sacramentum novae legis.

Licet hoc Sacramentum in Evangelio Marci (1), insinuatum sit, cum Christus Discipulos misit, ut infirmos Judaeos inungerent; fidelibus tamen promulgatum fuit per Jacobum Apostolum, ac Domini fratrem, his verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei* (2); quibus verbis ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit verum a Christo Domino institutum fuisse Sacramentum; cum in eo occurrat ritus sensibilis, idest unctio, et oratio: item virtus gratiae conferendae, cum remittat quidquid peccati superest infirmo, quod sine gratiae adminiculo fieri non potest: nec tandem deest institutio divina, cum unius Dei sit signis sensibilibus vim impertiendae gratiae alligare: Quocirca jure sic definivit Concil. Tridentinum: *Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum . . . anathema sit* (3).

Corollarium.

Ex dictis conficitur subjectum hujus Sacramenti esse

(1) *Cap.* 6.
(2) *Epist. Iacobi Cap.* 5.
(3) *Sess.* 14. *Can.* 1. *de Sacram. Extr. Unct.*

solos Christianos infirmos, periculose aegrotantes, ut monet Jacobus Apostolus, inquiens: *Infirmatur quis in vobis?* Quare declaravit Trid. Synodus, illis praesertim adhibendam esse extremam unctionem, *Qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur* (2).

CAP. II.

De Materia, et Forma Extremae Unctionis.

Q. QUaenam est materia hujus Sacramenti?

R. Extremae unctionis materia oleum est olivis expressum, ut ipsa praescribit Scriptura, inquiens (1): *Ungentes eum oleo*, nomine autem *olei*, illud communi existimatione intelligitur, quod olivis educitur, idque perpetua comprobat Ecclesiae consuetudo, quae materia jam dicta semper usa est in administratione hujus Sacramenti: *Unctio* enim, ut advertit Trid. Synodus (2) *aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.*

Scholion.

Ut Sacramenti substantia constet, una dumtaxat unctio sufficit, qua plane impletur D. Jacobi praeceptum; *Ungentes eum oleo*: quin immo ipsa Ecclesia praecipit unam fieri unctionem, cum mors jam instat infirmo.

Q. Quaenam est forma?

R. Forma his constat verbis, ex Tridentini doctrina (3): *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum, odoratum, gustum, tactum, auditum deliquisti.*

---

(2) *Sess.* 14. *de Extr. Unct.*
(1) *In Epist. Jacobi Ibidem.*
(2) *Sess.* 14. *Cap.* 1. *de Sacr. Extr. Unct.*
(3) *Sess.* 14. *Cap.* 1. *Ibidem.*

Scholion.

Hoc ritu substantiali jam praenotato conferendum est Sacramentum extremae unctionis, non solum quod verbis D. Jacobi omnino consentit, sed etiam quod eum adhibet S. Rom. Ecclesia *aliarum omnium Mater*, *et Magistra*; quocirca qui putaret laudatum ritum, quo extrema unctio in Ecclesia Romana infirmis adhibetur, repugnare verbis Apostoli Jacobi, et idcirco mutandum, vel saltem posse citra Spiritus Sancti injuriam a Christianis contemni, haereticorum albo esset adscribendus, ut definivit Trid. Synodus (1).

CAP. III.

De Ministro Extremae Unctionis.

Propositio.

Solus Sacerdos est Minister Extremae Unctionis.

Jacobus enim Apostolus vult, ut si quis fidelium infirmetur, inducantur Presbyteri per Episcopalem manuum impositionem consecrati, ut ipsum inungant, et orent pro eo; ita semper in Ecclesia unanimi Patrum traditione observatum est, quo factum, ut Trid. Synodus hunc fidei articulum sic statuerit: *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos . . . ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum, non esse solum Sacerdotem: anathema sit.* (2).

Scholion

Haec non ita sunt intelligenda, ut ab administra-

(1) *Sess.* 14. *Can.* 3. *de Sacr. Extr. Unct.*
(2) *Sess.* 14. *Can.* 4. *Ibidem.*

tione hujus Sacramenti excludantur Episcopi; quidquid enim possunt simplices Presbyteri, possunt, et Episcopi; quamobrem Praesules Tridentini de ministris loquentes extremae unctionis, inquiunt eos esse aut Episcopos, aut Sacerdotes ab illis rite ordinatos (1).

CAP. IV.

De Necessitate, et Effectibus Extremae Unctionis.

Q. QUo sensu necessaria dicitur Extrema Unctio?

R. Licet Sacramentum extremae unctionis necessarium non sit *necessitate medii*, cum sine eo haberi possit gratia sanctificans, per Baptismum nempe, et Poenitentiam; est tamen necessarium *jure divino*; praecipitur enim in Scripturis, ut graviter aegrotantes *inducant Presbyteros* (2), quibus verbis verum contineri Dei mandatum de suscipienda extrema unctione, declaravit Trid. Synodus, inquiens: *nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam . . . Apostoli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem . . . nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habere* (3). Hic porro diligenter animadvertendum est infirmos post susceptam hanc unctionem ab aegrotatione ereptos, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari posse, si in aliud simile vitae discrimen inciderint, ut Tridentini Patres loquuntur (4).

Q. Quinam sunt effectus Extremae Unctionis?

R. Hujus Sacramenti effectus accurate recenset Tridentina Synodus, quae ex illis Jacobi Apostoli verbis, nimirum, *et Oratio fidei salvabit infirmum, et allevia-*

(1) *Sess.* 14. *Cap.* 13. *de Ministro Hujus Sacr.*
(2) *Epist. Jacob. Cap.* 5.
(3) *Sess.* 14. *Cap.* 3. *de Extr. Unct.*
(4) *Ibidem.*

bit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei, colligit praecipuum extremae unctionis effectum esse gratiam Spiritus Sancti, cujus unctio abstergit et peccata, si quae sint adhuc expianda, et peccatorum reliquias; item aegroti mentem interiore quadam consolatione recreat, et confirmat, magnamque in eo divinae misericordiae fiduciam excitat, *quia infirmus sublevatus, et morbi incomoda, et labores levius fert, et tentationibus Daemonis . . . facilius resistit*; ac denique sanitatem corporis interdum, si modo saluti animae expedierit, consequitur infirmus (1). Haec iisdem ferme verbis docent Tridentini Praesules, qui jure expositam modo Catholicam doctrinam definierunt: *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos . . . anathema sit* (2).

S c h o l i o n.

Cave tamen credas Sacramenti hujus beneficio gravia peccata per se dimitti; non enim est Sacramentum mortuorum: sed venialia condonari certo tenendum est, cum vivorum Sacramentum sit: rursus quam diligentissime advertendum est peccatorum reliquias, de quibus modo diximus, aliud non esse, nisi proclivitatem ad malum, torporem ad bonum peragendum, ac mentis debilitatem ad coelestia contemplanda, quibus certe infirmitatibus, extremae unctionis ope abstergitur aegrotus.

DE
SACRAMENTO
ORDINIS.

Perbrevem de Sacramento Ordinis sermonem habituri. I. De Ordine in universum sumpto. II. De Ordi-

(1) *Trid. idem Cap.* 2.
(2) *Trid. Sess.* 14. *Can.* 2. *de Sact. Extr. Unct.*

nibus in specie. III. De Sacro Ordinationis Ministro, ac de illius Subjecto. IV. Demum de Ordinationis Effectibus agemus.

CAP. I.

De Ordine in universum inspecto.

IN ipso veluti limine hujus argumenti, illud ob oculos sedulo habendum est, nimirum *Ordinis* nomine certum hominum statum, ac coetum intelligi, qui benedictione consecrati, jus habent ad aliquod ministerium exercendum in functione Sacerdotii: *Ordinationis* autem vocabulo ea significatur actio, qua homines in eum statum eliguntur, quaeque *Consecratio* dicitur quibusdam verbis, ac caeremoniis concepta; hinc Ordo Ecclesiasticus idem est, ac Hierarchia, quae coalescit Episcopis, Presbyteris, et Ministris, ut infra dicemus; cooptatio vero in hanc Hierarchiam est Ordinatio, quae Sacramenti proprie dicti rationem habet, ad quod requiritur ritus externus, seu signum sensibile, promissio gratiae, et divina institutio, ut mox ostendemus.

Q. Quomodo definitur Ordo in genere sumptus?

R. Est ritus Sacer, quo confertur potestas obeundi quasdam Ecclesiae functiones.

PROPOSITIO.

Ordinatio** saltem aliqua **est verum novae legis Sacramentum** : **dixi** Ordinatio aliqua, **cum ad fidem non spectet, num inferiores ordines Sacramenti ratione gaudeant.

ET quidem sacra Ordinatio ritus est sensibilis, cum peragatur manuum impositione, et oratione: sic enim Diaconos primitus ordinarunt Apostoli: *Qui orantes imposuerunt eis manus* (1): rursus ordinatio vim habet

(1) *Act. Cap.* 6.

producendae gratiae: *Noli negligere*, sic Timotheum alloquebatur Apostolus, *gratiam, quae data est tibi . . . cum impositione manuum* (2). Tandem divinitus instituta est, quandoquidem unius Dei est, signo sensibili vim inserere gratiae conferendae; hoc fidei dogma sic stabilivit Trid. Synodus: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum . . : anathema sit* (1).

Q. Sunt in Ecclesia plures, ac diversi Ordines?

R. Affirmative: alii enim sunt majores, minores alii, ut Catholica docet Ecclesia in Concil. Tridentino, his verbis: *Si quis dixerit praeter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit* (2). Ut igitur dignius, ac majori cum veneratione Ministerium Sacrosancti, ac visibilis Sacerdotii exerceretur, plures, ac diversi constituti sunt ministrorum ordines, quorum alii, ut Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus *a Patribus, et sacris Conciliis* in numero majorum ordinum habentur, quod iis major, ac dignior potestas confertur: inter eos autem principem locum occupat Episcopatus, qui ad Hierarchicum ordinem divinitus institutum praecipue pertinet, et quo completa, et perfecta Sacerdotii potestas impertitur, ut docet Concil. Trid. (3): alii porro dicuntur minores ordines, ut *Exorcistatus, Lectoratus, Acolythatus, et Ostiariatus*, quorum nomina, ac munia *ab ipso Ecclesiae initio* (4), in usu fuisse dignoscimus, ut observare licet in Concil. Carthaginensi IV. habito an. 398.

(2) *I. Ad Timoth. Cap. 4.*
(1) *Sess. 22. Can. 3. de Sacr. Ordinis*
(2) *Sess. 22. Can. 2.*
(3) *Sess. 23. Cap. 4.*
(4) *Trid. Ibid. Cap. 2.*

CAP. II.

De Ordine in Specie.

§. I.

De Episcopatu.

Licet unus sit ordo Sacerdotii, varios tamen habet dignitatis, ac potestatis gradus: primus est Episcoporum, quibus data est potestas ordinandi, confirmandi, Ecclesiamque sibi commissam regendi: Quare Episcopatus merito definitur; *Ritus sacer, quo datur potestas confirmandi Neophytos, ordinandi Ministros, et regendi Ecclesiam Dei.*

PROP. I.

Hic Supremus ordo Episcopatus est verum novae legis Sacramentum.

Nam Episcopatus ordo ritus est sensibilis, qui manuum impositione, et oratione absolvitur, quique adnexam habet virtutem conferendi gratiam, cum non frustra dicant Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum* (1); nec porro cuiquam dubitandum, quin divinitus sit institutus: siquidem legimus Christum ipsum dedisse quosdam Apostolos (2), quibus ex Catholicae fidei doctrina succedunt Episcopi; nihil igitur quod ad veram Sacramenti rationem spectat, Episcopatus Ordini deest.

SCHOLION.

Ordo Episcopatus dicitur Supremus, quia in Hierarchia, quae in Ecclesia Catholica divina ordinatione instituta est, praecipuum locum obtinent Episcopi, ut docet Trid. Synodus (3), nec immerito, cum a vetustis-

(1) *Trid. Sess.* 23. *Can.* 4.
(2) *Ad Ephes. Cap.* 4.
(3) *Sess.* 23. *Can.* 6.

simis Ecclesiae Patribus *Sacerdotum Principes* appellati fuerint (1).

COROLLARIUM.

Ex ostensis cuique conficere datur materiam Ordinationis Episcopalis esse manuum impositionem, cui Apostolus ad Timotheum scribens attribuit producendae gratiae efficientiam, his verbis: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae in te est per impositionem manuum mearum* (2): formam vero esse orationem, quam fundit Episcopus dum Ordinando manus imponit; sic enim Paullus, et Barnabas ab Apostolis initiati sunt Episcopi (3).

PROP. II.

Ecclesia Catholica tenet Episcopos jure divino esse Presbyteris superiores.

OMnes enim Episcopi, *Apostolorum successores sunt* (4), ex unanimi Patrum doctrina; adeoque non secus, ac Apostoli jure divino sunt Presbyteris superiores: hinc Ecclesia in universum orbem diffusa, tanquam haereticum habuit Aerium, qui effutiebat Episcopos auctoritate nequaquam antecellere Presbyteris; explanatam modo Catholicam doctrinam constituit Trid. Synodus, his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores . . . . anathema sit* (5).

SCHOLION.

Licet fide divina perspicuum sit Episcopos esse Presby-

(1) *S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrnenses*
(2) *II. Ad Timoth. Cap.* 1.
(3) *Act. Cap.* 13.
(4) *S. Hieronym. Epistola ad Evang.*
(5) *Sess.* 23. *Can.* 7.

teris superiores: eadem tamen fidei certitudine non constat, num Episcopatus sit Sacramentum distinctum a Presbyteratu ut monent Estius Bellarminus aliique plures Theologi: quandoquidem Concilium Trid. cum definiit Ordinem esse Sacramentum, unius Presbyteratus expressam mentionem injecit (1).

§. II.

De Presbyteratu.

Q. Quid est Presbyteratus?

R. *Est ritus sacer, per quem datur potestas consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus, et Sanguinem Christi, necnon peccata dimittendi, et retinendi.* Duplex igitur Presbyteratu confertur potestas, altera nimirum consecrandae Eucharistiae, altera peccatorum dimittendorum. Utramque Christus instituit: primam quidem, cum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus in extrema coena dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* (2), uti semper Ecclesia Catholica intellexit, ac docuit (3): alteram vero, cum a morte redivivus, iisdem dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* etc. (4). ergo etc.

PROPOSITIO.

Presbyteratus est proprie dictum Sacramentum novae legis.

In Presbyteratu enim tria occurrunt, quae veram Sacramenti naturam constituunt: I. Quidem hic ordo confertur signis sensibilibus, ac verbis, idest et manuum

(1) *Sess.* 23. *Can.* 1.
(2) *Lucae Cap.* 22.
(3) *Trid. Sess.* 22. *Cap.* 1.
(4) *Ad Joan. Cap.* 20.

impositione, et oratione Episcopi ordinantis Sacerdotes. II. Divinam ejus institutionem *Sacrae Litterae ostendunt*, et *Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit* (1): Christus enim Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio duplicem tribuit potestatem, alteram in ipsius Corpus naturale, alteram vero in Corpus mysticum, ut supra advertimus. III. Demum iisdem sensibilibus signis, ac verbis gratia Sanctificans impertitur, juxta illud Apostoli (2): *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi . . . cum impositione manuum presbyterii.* Ergo etc.

C o r o l l a r i u m.

Cum igitur in Novo Testamento SS. Eucharistiae Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et externum Sacerdotium, cujus beneficio exerceatur potestas consecrandi, et offerendi verum Corpus, et Sanguinem Christi, et peccata remittendi, et retinendi: Catholicam hanc veritatem contra Novatores definivit Tridentina Synod. (3).

S c h o l i o n.

De materia, et forma Presbyteratus non una est Theologorum sententia; nonnulli enim arbitrantur solam impositionem manuum, ipsique adnexam orationem esse materiam, et formam essentialem, cum hanc unam Sacra Scriptura commemoret. Alii contra sentiunt porrectionem instrumentorum, et verba, quae eam comitantur esse materiam, et formam essentialem Presbyteratus, propterea quod (ut hujus sententiae Patroni existimant) Christus materias, et formas Sacrarum Ordinationum in genere tantum instituit, relicta Ecclesiae

(1) *Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1.
(2) *Ad Timoth. Cap.* 4.
(3) *Sess.* 23. *Can.* 1. *de Sacr. Ordinis.*

potestate aliquid addendi, cujus omissio Ordinationem irritam efficeret (1). Cum itaque in hoc argumenti genere in diversas sententias abierint Theologi, nec dum Ecclesia aliquid decretorio canone constituerit, diligenter curandum est, ut utraque materia adhibeatur, et in praxi omnia ad amussim respondeant iis, quae hac de re traduntur in Cathechismo Romano (2), ac in Pontificali praescribuntur, adeo quidem ut. » Si quis » horum rituum, qui ad materiam, vel formam perti» nent secundum varias theologorum opiniones, in or» dinatione fuisset omissus . . . supplere deberet Epi» scopus, quod in ordinatione fuisset incaute praeter» missum, ut scite, et ad rem monet Natalis Alexander (3), cujus praeclarissimi Theologi doctrina decreto innititur Gregorii IX (4) statuentis *Nihil esse iterandum* (si quid in Sacra ordinatione absolvenda fuerit omissum) *sed caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum* (5).

§. III.

De Diaconatu.

Diaconi, seu *Ministri* tales in Ecclesia constituuntur *quodam ritu Sacro, quo ipsis datur potestas legendi*

---

(1) *Discrepantium hac de re Theologorum opiniones iisdem ferme verbis refert Natalis Alex. Theol. Dogm. et Moral. de Sacr. Ord. Cap.* 1.

(2) *Ita praecipit Bened. XIV. de Synodo Dioeces Lib.* 8. *Cap.* 10.

(3) *Ibidem art.* 7.

(4) *In Cap.* Presbyter *de Sacram. non iterandis.*

(5) *Sacra Congregatio Concilii animadvertens praeviam manuum impositionem (in ordine Presbyteratus) non posse moraliter conjungi cum porrectione instrumentorum, quae postea fieret, in hypothesi, quod haec traditio esset omissa, censuit in hoc casu totam ordinationem conditionate esse iterandam: Consule Benedictum XIV. Lib. 8. de Synod. Dioeces. Cap.* 10.

solemniter Evangelium, *et proxime inserviendi Presbytero celebranti*: Licet non dum fide divina exploratum sit, Diaconatum adnumerandum esse Sacramentis, quia *non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto*, *vel tradito*, *neque extat ulla Ecclesiae de hac re expressa determinatio*, ut scite advertit Bellarminus (1), communi tamen Theologorum sententia Diaconatus veri nominis Sacramentum est; siquidem in consecratione Diaconi manuum impositio, et oratio adhibentur, quibus exterioribus signis gratiam conferri comperta res est; quis enim nisi haereticus dixerit per sacram Ordinationem frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum* (2)? jam vero in ordinatione Diaconi, haec eadem verba profert Episcopus, nimirum: *Accipe Spiritum Sanctum*; quare Diaconatus gratiam habet sibi divinitus adjunctam: dixi *divinitus adjunctam*, tum quod unius Dei sit cum ritu externo gratiam copulare, tum vero maxime quod veteres Ecclesiae Patres aperte significarunt ex Christi mandato Diaconos fuisse constitutos; id prae ceteris testatur S. Clemens Romanus, inquiens: *Apostoli acceptis a Christo mandatis .. Episcopos, et Diacons constituerunt.* (3).

SCHOLION.

Cum nobis constitutum sit rem theologicam quam maxima brevitate persequi, hinc de Subdiaconatu, et quatuor minoribus ordinibus sermonem habere nolumus, ut quoad fieri poterit, brevitati consulamus; proinde hoc argumenti genus ad rerum Canonicarum Tractatores integrum remittimus.

(1) *De Sacr. Ord. Cap.* 6.
(2) *Sess.* 23. *de Sacr. Ord. Can.* 4.
(3) *Epist. I. ad Corinth. Cap.* 42. *apud Cotelerium.*

CAP. III.

De Ministro Sacrae Ordinationis.

PROPOSITIO.

Solus Episcopus est Minister Sacrae Ordinationis.

ID Sacrarum Litterarum auctoritate, ac perpetua Patrum traditione firmatur: Apostoli enim, quorum successores sunt Episcopi, Diaconos Sacra ordinatione insignebant (1): in singulis Ecclesiis Presbyteros constituebant (2), ita D. Paullus Timotheum, ac Titum Episcopos initiavit (3). Hinc D. Chrysostomus ajebat: *Sola ordinatione Superiores sunt Episcopi, et hinc tantum videntur Presbyteris praestare* (4). Non immerito igitur oppositam Aerii doctrinam S. Epiphanius vocavit *Dogma furiosum, et immane* (5).

COROLLARIA

I. Atque hinc cuilibet planum fit simplicem Sacerdotem, ne speciali quidem Ecclesiae concessione, haberi posse veluti ministrum extraordinarium Ordinationis Sacerdotalis; Patres enim unanimi suffragio pronunciarunt: *Episcopos sola ordinatione esse Presbyteris superiores.*

II. Nec Diaconatus ordinem simplex Presbyter conferre valet, cum Latinorum, Graecorumque constans traditio, ita solis Episcopis Diaconos consecrandi potestatem attribuat, ut simplices Sacerdotes excludat:

(1) *Act. Cap. 6.*
(2) *Act. Cap. 14.*
(3) *I. Ad Timoth. Cap. 3. et Ad Titum Cap. I.*
(4) *Homil. 11. in Epistolam ad Timoth.*
(5) *Haeres. 75.*

idque perspicitur ex Graecae, Latinaeque Ecclesiae Ritualibus Libris: Ordines vero minores, atque Hypodiaconatum a Presbyteris conferri posse deducitur ex Tridentinis Patribus, qui vetant, ne Abbates *Tonsuram, vel minores ordines aliis, quam sibi Subditis conferant* (1). Quod vero ad Subdiaconatum spectat, ita loquitur Gelasius Papa: *Memincrint* (Sacerdotes) *sibi nulla ratione concedi sine Summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi.* (2)

Q. Quod, et quale sit Subjectum Sacrae Ordinationis?

R. Neminem ad ordines licet assumere, nisi virum baptizatum: *Mulieres in Ecclesiis taceant* oportet, *non enim permittitur eis loqui, sed subjectas esse* (3). Is autem, qui Clero adscribitur opus est, ut divinitus vocetur, legitima aetate, scientia, morumque integritate polleat: interstitia servet, ordinationem per saltum vitet, ab omni prorsus irregularitate sit immunis, ac titulo demum clericali gaudeat; sed haec ad Canonum Interpretes attinent.

CAP. IV.

De Effectu Ordinis.

Superest modo, ut aliqua delibemus de Sacrae Ordinationis effectibus.

Q. Quotuplex igitur est Sacrae Ordinationis effectus?

R. Duplex: Alter est gratia Sanctificans, non quidem prima, quae sola baptismi, et poenitentiae Sacramento tribuitur, bene vero secunda, idest incrementum habitualis gratiae; ut ex Apostoli verbis liquido deducitur ad Timotheum sic scribentis: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi . . . cum*

(1) *Trid. Sess.* 23. *de Reform. Cap.* 10.
(2) *Tom.* 4. *Concil.*
(3) *I. Ad Corinth. Cap.* 14.

impositione manuum Presbyterii. Hanc veritatem credendam proposuit Trid. Synodus, his verbis: *Si quis dixerit, per Sacram ordinationem, non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum Sanctum . . . . anathema sit* (1). Nemini porro licet dubitare, quin Sacris initiati, actualis quoque gratiae percipiant dona, quibus adjuti, sacris muneribus, quae Ordini suo adnexa sunt, rite obeundis, idonei reddantur. (2) In Ordinatione enim Presbyteri, exorat Episcopus, ut qui ad tantum gradum evehitur, inculpate Sancto Altari assistendo, dignus fiat, qui Evangelium Sanctum annuntiet, et hostias spirituales offerat.

Alter sacrae Ordinationis effectus est Character, seu interior quaedam, ac indelebilis nota, qua a reliquis fidelibus secernuntur, qui Sacramento Ordinis initiati, divino cultui peculiari quadam ratione mancipantur: Haec sane constans fuit majorum nostrorum fides, juxta quam semper Ecclesia Sacramentum ordinis nequaquam iterari posse judicavit (3). Quare Concil. Tridentinum Catholicam hanc veritatem sic statuit: *Si quis dixerit per sacram ordinationem . . . non imprimi characterem . . . . anathema sit* (4).

Scholion.

Sacrae Ordinationis effectibus adnumeratur Coelibatus, lex nimirum continentiae perpetuo servandae; quae quidem lex licet Ecclesiastica sit, ut ex illo Tridentini colligitur: *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos . . . posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica*

(1) *Sess.* 23. *Can.* 4.
(2) *Ita D. Thomas in Supplem. Quaest.* 35 *art.* 1.
(3) *Apostol. Can.* 68. *et Concil. Carthag. III. Can.* 38.
(4) *Sess.* 23. *Can.* 4.

. . . . *anathema sit* (1). Summa tamen sapientiâ ab Ecclesia instituta est: Si enim fideles laicos hortatur Apostolus, ut ex mutuo consensu, matrimonii usu ad tempus abstineant, sicque saecularibus curis vacui, orationi liberius incumbant (2): *Multo magis Sacerdotes, quibus, et orandi, et sacrificandi juge officium est, semper debent ab hujusmodi consortio abstinere* (3).

DE
SACRAMENTO
MATRIMONII.

Matrimonium duplici ratione considerari potest, vel tanquam naturalis, ac civilis contractus, vel prout est novae legis Sacramentum: Heic Matrimonium primo modo inspiciemus, ac propterea ejus Essentiam, Institutionem, Finem, Honestatem, aliasque proprietates, juxta doctrinam divinitus revelatam, paucis exponemus: Deinde disseremus de Matrimonio, ut novae legis Sacramento, atque a divinis litteris, Patrumque auctoritate nunquam discedentes, ejus Institutionem, Materiam, et Formam, Ministrum, atque Effectus brevi pervestigabimus.

CAP. I.

De Essentia, Institutione, Fine, et Honestate contractus Matrimonii.

Q. Quid est Matrimonium prout est contractus naturalis, et politicus?

---

(1) *Sess.* 24. *de Matrim. Can.* 9.
(2) *I. Ad Corinth. Cap.* 7.
(3) *Innoc. I. Epistola* 3. *ad Exuperium, Cap.* 1.

R. Est actio, per quam vir, et mulier corporum suorum dominium ad actum conjugalem sibi invicem tradunt, et accipiunt. Ex hac tradita definitione patet ad Matrimonium requiri mutuum, ac deliberatum consensum; nec enim fieri potest, ut conjuges sibi invicem tradant proprii corporis dominium sine mutuo consensu.

Q. Quis instituit contractum matrimonii?

R. Deus ipse naturae auctor Adamum, et Evam condens, arctissimo vinculo eos copulavit, inquiens: *Crescite, et multiplicamini* (1). Hinc Adamus, Deo inspirante, haec protulit verba: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori, et erunt duo in carne una* (2).

Q. Quotuplex est Matrimonii finis?

R. Triplex: Primus est procreatio, et educatio filiorum, ut ex Scripturae verbis supra allatis cuique fit palam: alter est virum inter, et mulierem individua consuetudo vitae, mutuus amor, subsidiorumque communio, quod et ipse Deus indicavit his verbis: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* (3). Tertius est, aestuantis concupiscentiae coercitio; Matrimonium enim salubre remedium est, quod effraeni cupiditati adhibetur, quemadmodum scripsit Apostolus: *Propter fornicationem* (declinandam) *unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat* (4).

PROPOSITIO

Contractus Matrimonii bonus est, ac licitus: sic contra Manichaeos.

Christus Dominus in Cana Galileae praesentia sua cohonestavit Nuptias, earumque celebritatem adproba-

(1) *Genes. Cap.* 1.
(2) *Ibid. Cap.* 2.
(3) *Genes. Cap.* 2.
(4) *I. Ad Corinth. Cap.* 7.

vit (1); quin immo Christus ipsemet primaevam matrimonii institutionem respiciens, indissolubile matrimonii vinculum firmavit, vetans, ne quod Deus conjunxit, homo separaret (2): haec, et alia ejusdem generis, quae in novo testamento occurrunt, mirum quantum Nuptiarum honestatem commendant: quare Apostolus ad Timotheum scribens (3), docuit spiritu erroris duci, atque a fide quam longissime aberrare eos, qui prohibent nubere. Patres Ecclesiae in hac tradenda veritate omnino conformes esse nemo in dubium verterit.

Scholion

Licet Conjugium honestum sit, ac licitum, fides tamen Catholica docet Virginitatem longe praestare Conjugio, quemadmodum testatur Apostolus (4), his verbis: *Qui non jungit matrimonio virginem suam melius facit*; quocirca, qui effutiunt statum conjugalem anteponendum esse virginitati, ac coelibatui, nec melius esse in virginitate permanere, ac coelibatu, quam matrimonio copulari, in errorem incidunt gravissimum communi Catholicae Ecclesiae sensui, ac fidei oppositum, ita definivit Trid. Synodus (5).

CAP. II.

De Proprietatibus Matrimonii.

DUo imprimis sunt, quae Matrimonii rationem sequuntur *Unitas* nimirum, ac *Firmitas*.

(1) *Joan. Cap.* 2.
(2) *Matth. Cap.* 19.
(3) *I. Ad Timoth. Cap.*
(4) *I. Ad Corinth. Cap.* 7.
(5) *Sess.* 24. *Can.* 10.

§. I.

De Unitate Matrimonii.

Q. IN quo posita est Matrimonii unitas ?

R. In eo sita est, quod vir unam uxorem, et uxor unum virum habeat. Hinc matrimonium initum, vivente adhuc conjuge, dicitur *polygamia simultanea*: sin vero sit initum post mortem alterutrius conjugis, appellatur quoque *bigamia*, sed *successiva*.

Propositio.

Evangelica, et Catholica veritas est, nemini unquam licere plures simul habere uxores.

CHristus docet adulterii reum esse, qui uxore dimissa, cum alia matrimonium iniit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit* (1). Ergo gravius crimen admittit, qui suam uxorem retinens, aliam ducet; hujusmodi veritatem sic statuit Concilium Trident: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit* (2).

Scholion

Polygamiam successivam licitam esse pluries declaravit Apostolus praesertim in Epistola I. ad Corinthios, inquiens: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino* (3). Hinc jure Ecclesia olim proscripsit Montanistas, quod Secundas Nuptias damnarent.

(1) *Marci Cap.* 10.
(2) *Sess.* 24. *Can.* 2.
(3) *Cap.* 7.

§. II.

De Firmitate Matrimonii.

Prop. I.

Fides Catholica tenet Matrimonii vinculum esse indissolubile.

MAtrimonii perpetuum, et indissolubilem nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu, pronunciavit, cum dixit; *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*: perpetuam hanc Matrimonii nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam confirmavit Christus Dominus, his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: ita doctrinam hanc exposuerunt Tridentini Patres (1).

Corollarium

Ergo gravissimo contra Fidem errore rapiuntur, qui sentiunt propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum.

Scholion.

Quod si Matrimonium sit ratum, et non dum consummatum, ejus certe vinculum, una professione religiosa dissolvi posse Catholica docet Ecclesia, his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, et non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* (2) Huius doctrinae ratio non alia proferri potest, nisi divina voluntas, cujus infallibilis interpres est Ecclesia.

---

(1) *Sess.* 24. *Cap. Unico.*
(2) *Trid. Sess.* 24. *Can.* 6.

Evangelicà, et Apostolica doctrina est, Matrimonii nexum dirimi non posse ob adulterium alterius Conjugum.

PRaecipuum hoc doctrinae Caput Christus in Evangelio explanavit apertissime, cum inquit: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, maechatur; et qui dimissam a viro ducit, maechatur.* (1) In hanc Christi sententiam, sic loquitur D. Augustinus: *Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus* (2). Jure igitur Trid. Synodus definivit: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et docet juxta Evangelium, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi . . . anathema sit.* (3)

DE MATRIMONIO UT EST SACRAMENTUM NOVÆ LEGIS.

CAP. I.

De Natura, et Institutione Sacramenti Matrimonii.

Q. QUomodo definitur Sacramentum Matrimonii?
R. Definitur Sacramentum a Christo Domino institutum ad sanctificandam viri, et mulieris conjunctionem.

(1) *Lucae. Cap.* 16.
(2) *Lib.* 2. *de Conjug. Adult. Cap.* 4.
(3). *Sess.* 24, *Can*, 7.

PROPOSITIO.

Sacramentum Matrimonii est verum novae legis Sacramentum.

FIdes Catholica docet Matrimonium, quod ab initio mundi Deus instituerat, ut officium naturae, evectum fuisse a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem: Matrimonium enim est signum efficax gratiae, teste Apostolo (1), qui loquens de fidelium conjugio, subdit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia*, quia nimirum est visibile signum unionis sacrae, quae intercedit Christum inter, et Ecclesiam: et sicut Christus Ecclesiae suae copulatur, non solum ratione humanae naturae, sed etiam ob caritatem, et gratiam, qua illam Sanctificat; ita Sacramentum Matrimonii, non modo secundum corpus fideles conjungit, sed et impertit gratiam, qua naturalis conjugum amor perficitur, indissolubilis nexus firmatur, atque ipsi Conjugati sancte matrimonio utuntur: Porro Universa Ecclesia tum Latina, tum Graeca traditione nunquam interrupta mirifice adstruit dogma, quod exposuimus: Hinc contra Acatholicos, ita statuit Trid. Synodus: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia invectum, neque gratiam conferre, anathema sit.* (1)

CAP. II.

De Materia, et Forma Sacramenti Matrimonii.

CUm in hoc argumento nihil plane definierit Ecclesia, idcirco quaecumque arridet dissidentium theologo-

(3) *Ad Eph. Cap. 5.*
(1) *Sess. 24. Can. 1.*

rum sententia circa materiam, et formam Sacramenti Matrimonii citra fidei detrimentum seligi poterit, modo semper constet incolumis ejusdem Sacramenti veritas.

Praestat tamen hic, quae politiores sentiunt Theologi paucis tradere: et sane ipsi arbitrantur hujus Sacramenti materiam esse legitimum contractum initum inter Nubentes; quoniam contractus ille, accedente forma, gratiam confert sanctificantem: Formam vero esse verba a legitimo ministro prolata, *Ego vos in matrimonium conjungo*: his namque, vel similibus verbis secundum cujusque Ecclesiae consuetudinem gratia impertitur, ut plures particularium Ecclesiarum Synodi declararunt (1), quas inter Coloniensis Synodus constituit: *Accedente Sacerdotali precatione dari donum Spiritus Sancti, quo vir uxorem diligat amore casto.* Quare etsi in hoc genere nihil adhuc statuerit Ecclesia, praefata tamen Theologorum sententia magis consona videtur esse Patrum dictis.

CAP. III.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

In hac quaestione nulla item intercessit Ecclesiae definitio: sunt enim inter Theologos, qui Nubentes ipsos Sacramenti matrimonii ministros agnoscunt; sunt contra, qui hoc munus uni Sacerdoti tribuunt: quamlibet sequi sententiam cuique Catholicorum sine fidei dispendio licet.

Ne autem rem indefinitam relinquamus, in animo est eam proponere sententiam, quae SS. Patrum doctrinae propius accedere existimatur. Profecto Tertullianus (2), et Ambrosius (3) ex Benedictione Sacerdotali matrimonii gratiam ducendam esse judicant, quod et Patres Concili Carthagin. IV. (4) confirmarunt; atque hinc factum est, ut Nuptiae palam in Ecclesia semper fuerint ab Episcopo, vel Presbytero benedictae, ac sanctificatae;

(1) *Consule Coloniensem Synodum habitam an.* 1536.
(2) *De Praescrip. Cap.* 40.
(3) *In Epist. ad Vigilium n.* 7.
(4) *Can.* 13.

cum Ecclesiae Patres tum Latini, tum Graeci in ea fuerint mente, ut crediderint Sacerdotis benedictione, ac precibus gratiam Conjugibus conferri, ac propterea putarunt Sacerdotem esse debere sacri Conjugii ministrum: ad haec reliquorum Sacramentorum ministri sunt Sacerdotes, quos Apostolus vocat *Dispensatores mysteriorum Dei*: quid ergo caussae est, cur ab hac generali Apostolica lege unum matrimonii Sacramentum excipiendum sit, cujus administratio non Sacerdotibus, sed laicis ipsis nubentibus deferenda sit, non video. At haec ad Fidem non pertinent.

C A P. IV.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

SI fideles hoc Sacramentum suscipiunt animo ab omni vitiorum labe purgato, non solum adipiscuntur incrementum gratiae sanctificantis, sed et jus sibi comparant ad ea omnia supernaturalia auxilia obtinenda, quibus indigent, ut pie, sancteque vitam in statu matrimonii traducant. Itaque Sacramentum Matrimonii praeter sanctificantem, gratiam quoque sacramentalem confert, qua fit, ut Conjuges caste, et moderate officium conjugale adimpleant, fidem matrimonii religiose servent, atque omnem immunditiam fugiant: rursus, ut se se invicem diligant, sicut Christus Ecclesiam; nec non filios a se procreatos per Baptismi lavacrum ab originali noxa solvendos curent, ac deinde verbo, et exemplo eos christiane instituant; apposite D. Augustinus. *In nuptiis bona nuptialia diligantur, Proles, Fides, Sacramentum; sed Proles, non ut nascatur tantum, verum etiam, ut renascatur* (1): denique, ut aerumnas, quae matrimonium comitantur alacri animo perferant, ac pacem inter se perpetuo servent.

---

(1) *Lib. 1. de Nup. et Concup. Cap. 17.*

F I N I S.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA

PARS TERTIA

APPENDIX

APPENDIX

TRACTATUS

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS. 190

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE. 220

DE SACRAMENTIS IN SPECIE

DE EUCHARISTIA

DE SACRAMENTO

APPENDIX

DE PURGATORIO

DE SACRAMENTO

DE SACRAMENTO ORDINIS. 321

DE SACRAMENTO MATRIMONII. 333

DE MATRIMONIO UT EST SACRAMENTUM NOVAE LEGIS. 338



